



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

Triapostolatus Septemtrionis

Caesar, Philipp

Coloniæ Agrippinæ, 1642

urn:nbn:de:hbz:466:1-43650



Th. 2484.

K
11
3




112
















TRIAPOSTOLATVS

Septentrionis.

VITA ET GESTA

S. VVILLEHADI,

S. ANSGARII,

S. RIMBERTI,

TRIVM PRINCIPALIVM

Ecclesie Bremensis Episcoporum,

Septentrionis Apostolorum,

hactenus desiderata,

Ex peruetusto & autentico Ham-

burgensis Ecclesie Codice

M.S. in lucem publicam

producta,

Per

PHILIPPVM CAESAREM.


Doct. Theol.

Anno Christi D. N.

A 642. Jesu Paderb.
Coloniae Agrippinae,

Apud PETRVM METTERNICH

prope Augustinianos



*Illustrissimo & Reuerendissimo
Domino,*

**DN. FRANCISCO
VVILHELMO,**

**DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS
GRATIA EPISCOPO OSNABRVGENSI,
MINDENSI ET FERDENSI,**

**S. R. I. PRINCIPI, ELECTO COAD-
IUTORI Ratisbonensi, Metropolitanarum
Cathedralium, & insignium Collegiatarum,
Colon. Fridsing. Bonnen. & Oetting. res-
pectiuè ARCHIDIAcono, PRÆPOSITO,
CANONICO & CAPITVLARI: COMI-
TI de Wartenberg, & Schaumburg, DOMINO
in Walt & Hachenburg, &c. Domino meo
Clementissimo,**

Reuerendissimo in Christo Patri ac Domino,

DN. ARNOLDO,

**IMPERIALIS ET EXEMPTÆ ABBA-
tiæ Corbeiensis PRÆVLI. S. R. I. PRINCIPI,
Domino & Patrono meo Gratio-
sissimo.**

(2)

Reue-

EPISTOLA

Reuerendissimi, Illustrissimi, Celsis-
simiq; Principes ac Domini.



Quod caelestis orator,
os veritatis, aeterna Dei
Patris Sapientia, Do-
minus noster I E S V S
CHRISTVS ait : *Omnis Scriba*
doctus in Regno caelorum, similis est
homini patri-familiâs, qui profert
de thesauro suo Nova & Vetera.
Math. 13. 52. hoc ego in praesentiarum
inter caeteros etiam implere co-
nor. Cùm enim in thesauros meos,
in se sanè quàm modicos ἐξ ἑω ἦεν ve-
nisset thesaurus omninò maximus,
quo gaudere vel summorum ali-
quis potuisset, non eū mihi recon-
dere & seruare soli, quod in re pe-
cuniariâ auarorum, in re literariâ
inui-

DEDICATORIA.

inuidorum est; sed cum multis cō-
 municare, & publici iuris ac com-
 modi facere volui. *Vitas & Gesta*
 dico trium sanctissimorū & prin-
 cipalium Bremensis olim Ecclesiæ
 Episcoporum. S. WILLEHADI,
 S. ANSGARII, & S. RIMBERTI, qui
 Apostolicè à Sede Romanâ missi
 & veri Septentrionis Apostoli
 fuerunt: quorum hæ, quas nunc e-
 do, Vitæ, sicut primitus scriptæ fu-
 erunt, lucem nondū viderunt, sed
 iam ex m. s. Hamburgensis Ecclesie
 libro, antiquo & autético, in char-
 tâ pergamētâ, in eam à me primò
 emittūtur. Vitas has vt hic iam edi-
 mus, viderunt M. Adamus Bremē-
 sis Canonicus, Albertus Crantzius
 Håburgensis decanus, & Lauren-

(3)

tius

tius Surius, Cartusian. Colonien-
sis, qui ex eis verbotenus ferè sum-
ferunt, quæcunque de his Sanctis
prodiderūt, & reliqui deinde ex il-
lis: sed viderunt latitantes in Bibli-
othecis Ecclesiasticis, vbi etiã reli-
querūt, nec inde totas produxerūt,
sibi tantum sua transcribentes.
Cæsar autem Baron. Cardin. dili-
gentissimus post priores illos anti-
quitatis Ecclesiasticæ perlustrator
& inquisitor, non vno loco con-
queritur de Libro Vitæ S. Ansgarij
magnâ cū iacturâ perduto & amis-
so; sicut infra in notis meis n. 59.
referam. Vt hinc cōiecturâ assequi
liceat, illas Vitas ad eius conspectū
non coniunctim, sicut in hoc no-
stro Codice Hamburgensi sunt, sed
sepa-

separatim venisse: secus qui primā
 & vltimam vidisset, quomodo me-
 diam incognitā habere potuisset?
 Quod autem Ant. Posseuin. Man-
 tuan. S. I. Tom. 2. Apparatus sacri
 in voce Rembertus ait: S. Réber-
 tus scripsit (inter alia) Vitā S. Anf-
 garij, qui (liber) excusus est: ita in-
 tellige, apud Adamum, Crantziū,
 Surium & alios, dicto modo excu-
 sum esse; aliās in hac forma, quā
 hic nunquā excusus est. Certè vi-
 dit eum nostro tempore antè me
 Magnificus Dominus Paulus Cy-
 præus Gottorpiensis cancellarius,
 qui ex præfatione eius verbotenus
 quædam citat; vt infra in notis n.
 59. indicabo. Tandem vero nunc,
 mihi, multò iam ante Sacra gesta

(4)

Virtu-

Virtutesque Sancti præsertim Ansgarij perenni editione celebrare gestienti, in manus vltro est delatus. Ita non sine diuini consilij dispositione res suæ tandem Ecclesiæ redeunt; & quod dicitur, Sancti suas Ceras, adde iã & Libros suos, repetunt, restitutori, si Deo placuerit, suam etiam aliquando Fidem, suas Ceremonias, totamq; redintegraturi Ecclesiam; quod, faxit Deus, vt ego videre merear antequam moriar! Mirari autem diuinorum consiliorum bonitatem & profunditatē, vt in alijs omnibus, sic in hoc iplo quoque negotio, satis non possum. Cùm antè complures iam annos in Ciuitate Bremensi adhuc Acatholicus, in S.
tamen

DEDICATORIA.

tamē Ansgarij Æde, quæ ibi egregia est, & vnā ex præcipuis quatuor Parochijs sibi adiunctam habet, Canonicum agerem & Pastorem primarium non incelebrem, dolens quòd S. Ansgarij, tanti & tã de Ecclesia illa vt & totius Septentrionis bene meriti viri (ea mihi iã tum de eo fuit existimatio) nō haberetur historia, cogitabam multum quē diu quē versabam animo, quomodo quæ de S. viro apud probatos Autores legerem, & hinc inde auditu visu quē percipere possem, apto ordine digererem & in historiolæ formam redigerem: & Ecce, varijs hucusque incidētibus præpedito ipsa Vetus de eo Historia, meliùs quàm à me aut quouis

(5)

alio

alio fieri queat descripta, sponte se
in manus offert, & Sanctum mihi
sistit, exsertè quasi dicentem; En
adsum, fac quod dudum cogitasti,
pietatem in me tuam exsequere, &
ego, quod hæctenus feci, meam in
te vicissim ostendere pergam. Cre-
do, sicut aliorū, sic huius præcipuè
Sancti precibus ac meritis, agnito
hæreseos errore, me ad Vnam San-
ctam Catholicam Ecclesiam con-
uersum esse: pro quo summo be-
neficio Deo optimo maximo sat
dignas gratias nūquam agere pos-
sum. Sic igitur hæctenus desidera-
tam & intercidisse putatam S. Ans-
garij Vitam, vna cum antecessoris
S. VVillehadi, & successoris S.
Rimberti Vitis, vt in illo Ecclesiæ
Ham-

DEDICATORIA.

Hamburgen. vetusto Codice sunt,
 summa fide & diligentia in lucem
 emitto. Qua in re me non horum
 tantum Sanctorum honori litare,
 sed multorum etiã desiderijs satis-
 facere, communiq; vtilitati con-
 sulere existimo: siquidem scriptæ
 sunt hæ Vitæ & res gestæ, non vt
 perpetuis tenebris tegerentur, sed
 vt à plurimis cognoscerentur, &
 posteritati memoriale exhibitæ
 diuinæ gratiæ, zeli, & imitationis
 exemplum essent; quem finem nõ
 minùs, qui edèdo à perditione sal-
 uat, quàm qui scribendo æternita-
 ti manciparunt, spectat & quantũ
 tempora sinunt assequitur. *Non
 minor est virtus, quàm querere,
 parta tueri,* inquit Poeta: & Ec-
 cle-

clesiasticus. *Sapientia absconsa, & thesaurus inuisus, quæ utilitas in utrisque?* Sirac. 20. 32. *Alias, Vetera præterierunt, & ecce Noua facta sunt omnia.* El. 43. 19. 2. Cor. 5. 17. Apoc. 21. 5. Hic autem & Vetera Noua sunt, & Noua Vetera; vetera, quatenus olim gesta & scripta, noua, quatenus iam nunc è tenebris & situ eruta æternitati, cui primitus destinata erant, quasi regnuntur. Quia in re patrifamilias præstare videor, qui nõ quæ Vetera sunt producit Noua, nec quæ Noua Vetera, sed diuersa & inuicè distincta, alia Vetera, alia Noua: similis autem factus Saluatori, qui Nouum dilectionis præceptum dedit Discipulis suis, non quod aliud esset,

DEDICATORIA.

esset à Veteri, sed quòd Noua & perfectiore regula dirigeretur; Diliges proximum tuum, *sicut dilexi vos*, inquit Saluator. cùm Moses dixisset, *sicut teipsum*. Ioh. 13. 34. & 15. 12. Leu. 19. 18. Math. 22. 39. Quo eodem sensu S. & dilectus Domino Discipulus idem dilectionis mandatū Nouum appellat & Vetus: quia tenebræ Veteris Testamenti, quando Lex in litera & nostris viribus fundabatur, transierunt, & verum lumen iam lucet, Noui scilicet Testamenti, in quo eiusdem Legis obseruantia in spiritu & Christi gratia consistit. 1. Ioh. 2. 7, 8. 2. Cor. 3. 6.

Hunc autem laborem meum, in
trium Sanctissimorum Vitas redi-
uiuas

uiuas impensum, VV. Reueren-
dissimis Celsitudinibus, singulis
suo cū respectu, humiliter dicare
& dedicare volui; tū quia & statu,
& pietate, doctrina, prudentia, o-
mniq; virtutum cumulo personæ
estis hoc thesauro plusquā dignis-
simæ; tū quia, pro vestra in Eccle-
siam eiusq; Sanctos deuotione ac
cura, hunc libellum & ab inuidorū
insectationibus defendere, & fide-
lium obseruantia cōmendare po-
testis; tum vt & ego meam qualem-
cunque gratiam pro mihi & meis
hactenus præstitis gratijs maximis
rependā. Et suppetit præterea pro
singulis singularis etiā ratio: quia
Dominus meus Episcopus Osna-
brugensis & Mindensis, etiam E-
pisc,

DEDICATORIA.

pisc. est Ferdensis, qui districtus o-
 lim antè S. Svibertum, primum
 eius loci Episcopum, Religione
 Christiana imbui cœpit à S. Wil-
 lehado : quia Vita S. Ansgarij à si-
 militer S. Rimberto, Discipulo &
 successore in Archi-Episcopatu
 Hamburgo-Bremensi, ad Abbaté,
 Patres, & Fratres conuentus Cor-
 beiensis scripta est: quibus idcirco
 vtrisque vniuersim & singillatim,
 iure merito à me offerenda fuit.
 Suscipite igitur, Reuerendiss, &
 Illustrissimi Domini, quod vnicè
 humiliter peto, hoc vt à me munus-
 culum exiguum, in seipso maximū
 & vobis tantis dignum, lubente ac
 fauente animo, &, qui horum ali-
 orumque sanctorum imitatores
 estis

EPISTOLA

Estis strenui, me infirmum eorum
Vestriq; cultorem, cum omnibus
meis, clementia, protectione, &
paterna Vestra cura impofterum
semper prosequimini. Sic vos om-
nipotens cæli terræq; Dominus in
vita sana ac sancta diu conseruet,
Vestris restituat, pluribus augeat,
regimine hic felice donet, & ibi æ-
terna gloria beet. Dabam in Ar-
chi-Episcopalis residentia ciui-
tate Bonna, Mense Septemb. An-
no Christi Saluatoris nostri 1642.

*Reuerendissimarum & Illu-
strissimarum Celsitudinum
Vestrarum; humilimus
& subiectissimus Cliens,*

P. PHILLIPPVS CÆSAR C.

OBSERVATIO.

Hæc sic olim scripta est à
me iam edita Vita tan-
ta fuerunt Autorita-
tis, ut ex ijs in Horis Canoni-
cis Lectiones verbotenus de-
sumta fuerint, ut videre est
in antiquo Breviario de Tem-
pore & Sanctis secundum Dia-
ceseos Bremensis Ordinantiã,
impresso Colonia Anno Domi-
ni M. CCCC. LXXVI.
qui liber si non alibi, hic tamen
Colonia in Cartusia adhuc
superest.

((1))

AP-

APPROBATIO.

EX commissione Admodum Reue-
rendi & Eximij Viri ac D. Hen-
rici Sierstorpfij, Canonici Metropoli-
tani & Regentis Laurent. S. Theol. Doct.
librorum Censoris, euolui Vitam & res
gestas. SS. Willehadi, Ansgarij, &
Rimberti, Episcoporum Bremensium,
& Septentrionis Apostolorum, ab Ad-
modum Reuerendo ac Clarissimo
Domino Philippo Cæsare, Doctore
Theologo, in publicam lucem produ-
ctas notisque illustratas: Quæ quia
nihil orthodoxæ fidei seu bonis mori-
ribus dissonum continent, sed in om-
nibus auitam Maiorum pietatem & in
propaganda religione Romano-Catho-
lica Zelum plane cœlestem spirant, tu-
tò distrahi, & ab omnibus non sine fru-
ctu & vtilitate legi poterunt. Dabam
festo S. Remigij, Anno 1642. 1. Octobr.
Coloniæ Agrippinæ ad S. Petrum.

ARNOLDVS MESHOVIVS, Lip-
piensis, S. Theologiæ Doct. Pastor
S. Petri.

Errata

Errata sic sunt Corrigenda.

Pag. 14. Lin. 14. memoratur. Pag. 16. Lin. 3. ostentatione. 25. 1. XV. 23. 7. desperent. 24. 2. memoria. 30. 16. Pago eodem. 36. 15. Ecclesiam 41. 5. Herigarius. 42. 29. num 29. 43. 16. Dominis. 44. 6. modestia. 50. 27. pansisque. 51. 7. & 5. splendor Mirabilis, lux inaccessibilis, nimia atque immensa claritatis, 56. 3. plurimis. 57. 10. conuersione. 58. 1. repeteret. 62. 11. ad hoc. 65. 14. predicandum. 85. 3. sperantibus. 91. 28. decernendum. 93. 3. Legationis. 102. 22. asciscimus. 109. 10. nona. 125. 13. dele, dum. 127. 21. sciret. 138. 2. siper se. 141. 10. saluatione. 152. 18. de qua 154. 26. despicit. 157. 10. releuaret. 159. 7. qua. 159. 15. ille desiluit. 172. dele vel. 179. Gregorius IV. 179. 18. fundare decreuerat. 182. 13. temporis. 186. 10. vnam. 191. 27. custodiam. 199. 22. dilecto. 203. 15. immutauit. 205. 24. λατρεία. 205. 29. Februario. 206. 16. monendum. 217. 1. iuniorem. 218. 29. Lintbertus. 221. 2. Surium. 221. 16. ob. 234. deleantur marginalia.

Hæc

Hæc sunt Capitula in vitam & gesta Sancti VVillehadi.

1. Prologus in Vitam S. VVillehadi.
2. De patria eius, & quid in ea egerit.
3. Quomodo in Fresiam venerit, & quomodo res ei procedere ibi cœperit.
4. Quomodo occidendus, & sorte diuinitus liberatus sit.
5. Quomodo plagis & gladio cæsus miraculose seruatus sit.
6. Quomodo à Karolo Imperatore in Saxoniam missus sit.
7. Quomodo VVidikindi persecutionem sugerit, & quid socij eius passi sint.
8. Quomodo de durante persecutione Romam profectus sit & in Fresiam redierit.
9. Ordinatio S. VVillehadi in Episcoprum.
10. Continentia eius, & alia pia opera.
11. Quomodo in plexem egrotauerit, & mortuus sit, Brema autem sepultus.
12. Miracula circa eum post mortem eius, tam in sua, quàm altera in quam translatus est Basilicâ.
13. Prefatio S. Ansgarij in Miracula S. VVillehadi.
14. Tempus Miraculorum S. VVillehadi.
15. De quatuor, in alijs, post mortem eius factis Miraculis.
16. Alia quinque S. VVillehadi Miracula.
17. Alia sex S. VVillehadi Miracula.
18. Alia septem S. VVillehadi Miracula.
19. Alia quinque S. VVillehadi Miracula.
20. Alia septem S. VVillehadi Miracula.
21. Conclusio Miraculorum S. VVillehadi.

VITA

Vita

S. VVILLEHADI.

CAPVT I.

*Prologus in vitam sancti
Vvillehadi.*



VM Sanctorum laudes
& actus religiosa fide-
um depromit affectio,
Christum profecto in
eis prædicare, Christum
nititur glorificare. Ipsius enim facti sunt vir-
tute victores, cuius gratiâ probati fuerant
in bona conuersatione fideles. Gratiâ nam-
que Dei, secundum Apostolum, sunt Sancti
quod sunt. Et quia gratia ipsius semper est
bona, per hanc quoque sunt homines vo-
luntatis bonæ. Ipsâ quoque Dei fit gratiâ, ut
ipsa bona voluntas, quæ iam cœpit esse,
augeatur in bono, & ita crescendo multi-
plicetur, quò possit iustus quilibet diuina
implere mandata, quæ voluerit, plenè per-
fectèque voluerit. Laudandi itaque sunt
Sancti propter bona merita ipsorum; quin-
immo magis in eis Christus est laudandus,
cuius gratiâ perceperunt, ut boni ac sancti
fierent. Quæ tamen laudis præconia cum
multis in hac vita piè religioseque viuenti-
bus fi-

A

bus fi-

bus fidelium deuotione meritò impertian-
tur, melius tamen ac rationabilius post be-
nè peractam ac feliciter consummatam
huius seculi periculosissimam vitam san-
ctis exhibentur hominibus. Quia tunc po-
tissimum sanctitatem cuiusque conueni-
extollere ac prædicare, quando nec qui lau-
datur elatione tentari, nec laudans adulati-
one poterit notari. Vnde & mos sanctæ Ec-
clesiæ iustissimus inoleuit, vt Sanctorum
qui in hac vita miraculis & fidei deuotione
ac bonorum operum perfectione clari ac
laudabiles extiterunt, post eorum disces-
sum conuersatio ac religiositas describatur:
vt posteri habeant in quo exemplum vir-
tutis imitentur; habeant etiam in quo gra-
tiam diuinæ miserationis contueantur, nec
desperent, se posse, quæ fortè impossibilia
videbantur, cum hæc in illis cernant imple-
ta, quæque, vt ipsi fragili hîc carne circun-
dati, mirâ atque eximiâ diuinâ adiuti gra-
tiâ perpetrârunt. Cùm verò hæc à fidelibus
cunctis iure impendenda sint Sanctis, illius
videlicet supernæ patriæ beatissimis ciui-
bus: diligentius tamen hoc vnusquisque il-
lis exhibere debet, quorum patrocinijs
specialius se tutari atq; adiuuari, nempe in-
dubitanter atque fideliter credit. Vnde &
nos Beati patris nostri Willehadi, primi
Bremensis Ecclesiæ Episcopi, religiosam &
in omnibus Deo deuotam dignum duxi-
mus

SANCTI WILLEHADI.

mus conscribere vitam: quò triumphum
virtutis eius enarrantes, & diuinam prædi-
cemus in eo gloriam, & exemplum Sancti-
tatis eius ad imitandum alijs proponamus.

INCIPIT VITA S. WILLEHADI,
EPISCOPI ET CONFESSORIS.

CAPVT II.

*De patria eius, & quid in
eâ egerit.*

FVit itaque vir Venerabilis de genere
Anglorum, ex Nordhumbrijs, nomi-
ne Willehadus, qui ab infantia sacris eru-
ditus literis ac spiritualibus instructus dis-
ciplinis, studiosè in Dei cœpit culturâ viue-
re, & ieiunijs, vigilijs, atque obsecrationi-
bus, die noctuq; intentus, in Dei omnipo-
tentis seruitio deuotus exiit: fueruntque
eius a cunctis illic habitantibus, sicut
honestas & bona, ita quoque amabilia &
laudabilia. Quique etiam succedente æta-
te, cunctorum fauore, per electionis gra-
tiam, ibidem ad honorem est prouectus
Sacerdotalem: quod ille Sanctitatis me-
rito, ac præcipuis bonorum operum exer-
citijs, magis ac magis semper exornare atq;
augmentare studebat. Denique acceptâ
consecratione Præsbyterij, audiuit quod
Fresones atq; Saxones, populi hæctenus in-

A 2

credu-

ereduli atque pagani, relictâ Idolorum cul-
 turâ, fidei Catholicæ quodammodo iam
 cœpissent ambire ministeria, ac Baptismi
 Sacramento vetustatis cuperent maculis e-
 mundari. Hoc itaque audito, magno vir
 Dei repletus est gaudio, & intimo succen-
 sus amore, in hianter quærere cœpit, qua-
 liter pro Dei amore illas in partes sese trans-
 ferret. Et quia diuino instinctus Spiritu
 Seruus Dei huiusmodi zelo de die in di-
 em exardescebat, non potuit lucerna ac-
 censa latere sub modio in tenebris; sed po-
 sita est super candelabrum, vt luceret pa-
 lâm omnibus qui vel tunc vel futuri erant
 in dōmo Domini. Accessit ergo ad Regem,
 qui tunc temporis in gente Anglorum do-
 minabatur, nomine Alachrat, & quo ad
 Domini esset seruitium zelo accensus, illi
 lacrymabiliter intimauit, petiuitque vt eius
 permisso atque licentiâ ad prædicandum
 Verbum Domini patrias iam prædictas si-
 bi adire liceret. Qui compertâ eius sanctis-
 sima voluntate, conuocato ad se Episcopo-
 rum aliorumque Dei seruorum non mi-
 nimo Conuentu, coram omnibus eius
 feruentissimam insinuauit deuotionem,
 omniumque pari consensu, quippe quia &
 cunctis iam pridem eiusdem Beati Viri pro-
 babilis Sanctitas fuit; eum supernæ com-
 mendatæ gratiæ ad prædicta loca causâ
 prædicandi Verbum Domini destinauit.

CAP.

CAP. III.

*Quomodo in Fresiam venerit, & quomodo
res ei procedere ibi cœperit.*

QUAM ille peregrinationem libentissi-
mo suscipiens animo, quantocius
mare quod erat adiacens transmeavit, ve-
nitque in Fresiam ad locum qui dicitur
Docyn circa, quod est in pago Hostracha;
vbi & Dominus Bonifacius Episcopus iam
olim Martyrio coronatus fuerat. Ibi ergo
quum per prædicationem memorati Mar-
tyris multi antea ad fidem instructi fue-
rant, cum magno ab eis est honore susce-
ptus; ibique docens ea quæ Dei sunt multo
tempore habitavit. Nam & plurimi Nobi-
lium infantes suos ipsi ad erudiendum ibi-
dem tradiderunt: quos ille tam verbo do-
ctrinæ, quam exemplo piæ conversationis,
ad diuinum iugiter incitabat amorem,
multosque errantes olim à fide ad veram
& Catholicam reuocauit scientiam; seque
maximum lumen supernæ claritatis eodem
in loco exhibuit; Gentilium quoque quam-
plurimam cateruam Verbo sanctæ præ-
dicationis instructam, ibidem baptizauit.

CAP. IV.

*Quomodo occidendus & sorte diuinitus
liberatus sit.*

INDE vorò procedens transiit fluuiam
A 5 Loueke,

Loueke, venitq; ad locum qui dicitur Humarcha, ibique barbaris cepit nomen Domini predicare, ac persuadere, vt relicta superstitione Idolorum vnus veri Dei notitiam susciperent; quod per sacri Baptismatis abluionem peccatorum suorum veniam promereri potuissent: dicens, insanum esse & vanum, a lapidibus auxilium petere, & a simulacris mutis & surdis subsidij sperare solarium. Quo audito gens fera & Idolatrijs nimium dedita, in ira magna pariter omnes excitati, stridebant dentibus in eum, dicentes; non debere prophanum longius viuere, immo reum esse mortis, qui tam sacrilega contra Deos suos inuisitissimos proferre presumpsisset eloquia. Quidam tamen inter eos saniori consilio suadebant ceteris, dicentes; Ignoram sibi hanc esse Religionis normam, vtrum ex diuinâ sit voluntate proposita, vtrum quoque ipsum nulli prorsus obnoxium crimini; qua de re nec oportere eum tam dubiâ necesse petire, verum magis mittendam esse sortem, quod demonstraretur cœlitus, an dignus esset interitu: sin aliâs, vt dimitterent eum liberum, & ipsi in nullo penitus noxij probarentur. Factum est ergo, vti persuaserant, ac seculum morem Gentilium missa est sors super eo, viuere an mori debuisset. Gubernante itaque diuinâ providentiâ, sors mortis super eum cadere non

non potuit; quapropter nec nocere illi in aliquo sunt ausi, sed in iro consilio, dimiserunt eum à se abire illæsum.

CAP. V.

Quomodo plagis & gladio casus miraculosè seruatus sit.

Qui inde transiens venit Thrianta, ibique dum prædicaret Verbum Domini, plurima multitudo Gentilium credidit ac Baptismi Sacramentum percepit. Quo in loco ipse diutius immorans, & non credentes instruere, etiam credulos in via veritatis, tam verbis quàm & exemplis, sedulus corroborare studebat. Cœperuntque plurimi bonam vitam Magistri, & errores Gentilium odio habere, & Christianam quam profitebantur Religionem deuota intentione venerari. Vnde contigit, vt quidam Discipulorum eius, diuino compuncti ardore, fana in morem Gentilium circumquaq; erecta cœpissent euertere, & ad nihilum prout poterant redigere. Quo facto, barbari qui adhuc fortè increduli perstiterant, furore nimio succensi, irruerunt super eos repente cum impetu, volentes eos funditus interimere. Ibi que Dei famulum fustibus cæsum multis admodum plagis affecere. Quorum etiam vnus euaginato gladio super Seruum Dei irruit, conatus ei caput abscidere. Verùm

Beatus vir ipso in tempore capsam cum sanctis reliquijs in collo suspensionem habebat: cumque ictus ferientis super collum eius decideret, corrigiam quidem capsae praecidit, ipsum verò in nullo penitus vulnerare potuit. Quo miraculo pagani exterriti, ipsum ac socios eius illaesos abire passi sunt, nec ulterius in aliquo eis molesti esse praesumerunt.

CAP. VI.

Quomodo à Karolo Imperatore in Saxoniam missus sit.

Post hæc verò gloriosissimus Francorum Rex Karolus, qui iam multotiens in gente Saxonum elaborauerat, quò ad fidem Christianæ Religionis conuerterentur; sed illi auersi semper cordibus susceptam fidem sæpius deserentes, pristinis magis implicabantur erroribus, auditâ famâ viri Dei, ad se eum accersiri præcepit. Quem ad se venientem honorificè ac reuerenter suscipiens, eius confabulationi ac doctrinæ libenter animum attendebat, probatumque sanctis moribus, ac fidei non fictæ constantiâ, misit in partes Saxoniae ad pagum qui dicitur VVigmodia, quò inibi auctoritate Regali, & Ecclesias instrueret, & populis doctrinam sanctæ prædicationis impenderet, atque viam salutis æternæ liberè cunctis illic habitantibus nunci-

nunciaret. Quod ille ministerium deuotè
 susceptum officiosissimè peregit, ac per-
 transiens cunctam in circuitu dioccesim
 multos ad fidem Christi euangelizando
 conuertit; ita ut in secundo anno tam
 Saxones, quàm & Fresones, in circuitu
 commorantes, omnes se pariter fieri pro-
 mitterent Christianos. Hoc itaque factum
 est anno Incarnationis Domini D C C. L.
 XXXI. Regni verò memorati Principis
 Karoli XIV. qui tamen necdum Impe-
 riali fuerat apice sublimatus. Quem postea
 per manus Reuerendissimi Leonis Apo-
 stolici Imperatorem Romæ consecratum,
 anno Regni eius XXXIV. Catholica
 Europæ consistens Christi venerata pari-
 ter & gratulabunda suscepit Ecclesia. Si-
 quidem Imperialis potestas, quæ post
 Constantinum pijsimum Augustum apud
 Græcos in Constantinopolitana hætenus
 regnauerat sede, cum deficientibus iam
 inibi uiris Regalis prolapia, fæmineâ ma-
 gis directione res administraretur publica,
 temporibus ipsius per Electionem Roma-
 ni populi, in maximo Episcoporum alio-
 rumque Dei Seruorum Concilio, ad Fran-
 corum translatus est dominium: quo-
 niam & ipse eandem, quæ caput Imperij
 fuerat, & multas alias tunc in orbe uide-
 batur tenere Prouincias, ob quod & iure
 Cæsarea dignus esset appellatione. Prefato
 ita

itaque Regni eius tempore Seruus Dei
VVillehadus per VVigmodiam Ecclesias
cœpit construere ac presbyteros super eas
ordinare, qui liberè populis Salutis ac Ba-
ptismatis conferrent gratiam.

CAP. VII.

*Quomodo VVidikindi persecutionem fugerit, &
quid socij eius passi sint.*

VErùm sequenti anno instigante Dia-
bolo totius boni inuido quidam ex-
titit peruersioris consilij VVidikindus, qui
rebellare contra Regem visus Karolum,
multam secum Saxonum multitudinem
aggregauit: qui etiam vnanimiter eos, qui
in fide Christi stabiles videbantur, persequi
ac punire, Seruos quoque Dei per loca
quæque vagantes dispergere, atq; à sanibus
suis effugare cœperunt. Quâ persecutione
commotâ Seruum Dei contigit, secundùm
mandatum Domini, præcipientis; Si vos
persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite
in aliam; de VVigmodia transire in Vtriu-
stri; ibique conscendens nauim mare circa
Fresiam transfretauit, sicque opitulante
Christi gratiâ persecutionem eorum euasit.
Porro Saxones crudelitatem quam circa
Magistrum nequuerant, in Discipulos ip-
sius exardescente ira feruentius exercue-
runt. Siquidem Folcardum præbyterum
cum Emmingo comite, in pago denomi-
nato

nato Leri, Benjamin autem in Cibhri-
stri, Atrebanum verò Clericum in Thiat-
maresgaho, Gerwalum quoque cum so-
cijs suis in Brema, odio nominis Christiani
gladio peremerunt. Et ipsis quidem ita ad
regna cœlestia effusione proprii sanguinis
feliciter euocatis; persecutionis tamen
procella diutius postmodum rebellantibus
desæuit Saxonibus.

CAP. VIII.

*Quomodo durante persecutione Romam profectus
sit, & in Fresiam redierit.*

Quo facto vir Dei cognoscens nullam
sibi tunc temporis prædicandi opor-
tunitatem inesse, arrepto itinere Pippi-
num Langobardorum Regem adiit; sicque
prospero cursu Romam peruenit: vbi
consistens multis lacrymis & precibus ad
Sedem sacratissimam Beati Petri Aposto-
lorum principis, se cunctamque fidelium
turmam sedulus ac deuotus diuinæ com-
mendabat clementiæ; illos præcipuè quo-
rum cura maximè cordi erat, ne forsan su-
scepta in partibus Saxoniae Christianitas
machinatione diabolica tunc penitus an-
nullaretur. Inde autem discedens & con-
solatione Venerabilis Papæ Adriani non
modicè corroboratus, Seruus Dei gaudens
repedabat in Franciam. Quo itinere con-
tigit, diuinam in eo etiam operatam fuisse
virtutem. Namque minister viri Dei voca-
bulo

*Miraculū
ab eo factū*

bulo Aldo, qui alimenta procurabat Magistri, quandam habebat patenam ligneam, quæ vulgò scutella vocatur, quam iugiter mundam ac nitidam ad mensam ipsius coram eo ponere solitus erat. Quam præfatus minister quodam die casu fractam repperit. Tempore itaque refectiois cum eam vir Dei requireret, minister negligentiam quæ contigerat nequaquam ei celare voluit; sed hanc fractam fuisse narrauit: quam ille ad se qualis erat statim deferri præcepit. Sed minister ad locum ubi iacebat, rediens, quam antea fractam reliquerat, ac si nihil vnquam detrimenti habuerit integram repperit. Quam allatam coram ipso lætus ac hilaris posuit, qui antea tremebundus & pauens, iram iustæ correptionis pertinuit. Quod ob gratiam Sancti viri cœlitus factum non dubitatur: quamuis ipse elationem fugiens magis in abscondito, quàm publicè id fieri cupiuerit. Igitur ab itinere concepto reuersus, transiit ad locum qui dicitur Aternacha, ibiq; Discipuli eius qui propter metum persecutionis passim dispersi fuerant, ad eum sunt denuò copulati. Quos ille benignâ consolatione refocillans, vt pro fide Christi constanter in omnibus se agerent, piè ammonere studuit. Quique in eodem loco duobus ferè annis demoratus elegit solitariam in clausus ducere vitam: vbi etiam non mediocriter viuens

viuens, cū lectioni atque orationi operam daret, tum præcipuè scriptioni interdum deditus erat. Namque scripsit ibi Epistolas Beati Pauli in vno volumine, aliaq; quamplurima, quæ à successoribus ipsius ob monumentum sanctæ recordationis eius seruata, hætenus manent inconuulsa. Multi quoque in eodem loco exemplis eius & monitis ad meliorem sunt vitam correcti, & ad seruitium Domini non ignauiter accensi.

CAP. IX.

*Ordinatio Sancti VVillehadi, in
Episcopum.*

Post hæc autem iterum venerandus Domini Sacerdos Regem adiit Karolum, qui tunc fortè in castello confederat Saxonie Eresbur, proponens volūtatis suæ deuotissimam in præparatione Euangelij pacis affectionem: atque ipsius in hoc æquissimam requirens præceptionem. Qui pro consolatione laboris ac præsidio subsequentium eius, dedit ei in beneficium quædam Cellam in Francia, quæ appellatur Iustina: præcepitque ei vt iterum pro nomine Christi cœptam repeteret Parochiam. Quod ille gratanter ac religiosè suscipiens, rursus venit VVigmodiam, & fidem Domini publicè ac strenuè Gentibus prædicabat. Ecclesias quoque destructas restaura-

*Datum est
Cella in
Francia.*

*Vidokindus
conuersus.*

stauravit, probataſq; personas, qui populis
monita salutis darent, singulus quibusque
locis præſſe diſpoſuit. Sicque ipſo anno,
diuino ordinante inſtinctu, Gens Saxonū
fidem Chriſtianitatis, quam amiſerat, de-
nuò recepit. Sed & torius mali auctor in-
centorūque perfidiæ VVidokindus, eodem
anno Regi ſe ſubdens Karolo, Baptiſmi eſt
gratiam conſecutus: Sicque ad tempus
ſedata ſunt mala, quæ illius fuerant ingeſta
perniciæ. Poſthæc verò cum omnia pacifica
viderentur, & ſub leni iugo Chriſti Saxo-
num ferocia, licet coacta, iam miſcerent
colla; memoratas præcellentiſſimus Prin-
ceps in VVormatia poſitus ciuitate, Ser-
uum Dei VVillehadum conſecrari fecit
Epiſcopum, tertio Idus Iulij, conſtituit-
que eum Paſtorem atque Rectorem ſuper
VVigmodiam, & Laras, & Ruiſtri, & A-
ſterga, necnon Nordendi ac VVanga, ve
inibi auctoritate Epiſcopali & præſſet
populis, & vti cœperat doctrinā ſalutari
operibusque eximijs ſpeculator deſuper in-
tentus prodeſſe ſtuderet. Sicque ipſe pri-
mus in eādẽ Diœceſi Sedem obtinuit
Pontificalem. Quod tamen id tamdiu
prolongatum fuerat, quia gens credulitatē
diuinæ reſiſtens, cum præbyteros aliquo-
tiens ſecum manere vix compulſa ſineret,
Epiſcopali auctoritate minimè regi parie-
batur. Hac itaque de cauſa 7. annis prius

in eadem Presbyter est demoratus Parrochia: vocatus tamen Episcopus, & secundum quod poterat cuncta potestate Præsidentis ordinans. Perceptâ verò consecratione Pontificali, cœpit in omnibus etiam deuotus se agere, & virtutum studia quæ prius exercuerat multiplicius augmentando cumulare.

CAP. X.

Continentia eius, & alia pia opera.

Namque à primæuis temporibus magnæ vir iste fuit continentia, ac deuotiore Domino Omnipotenti ab ineunte feruinit ætate. Vinum & siceram, ac omne unde inebriari potest non bibit. Esca autem eius erat panis & mel, holera & poma. Namque ab esu carniū, à lacte & piscibus, temperabat. Nisi quòd memoratus Apostolicus Adrianus ei iam in nouissimo propter valetudines, quas in corpore tolerabat frequentes, quò piscem comederet præcepit: Cuius auctoritati ipse obtemperans, paululum indulgentius in hac parte agere cœpit. Præterea nullus ferè dies transiuit, quo non sacra Missarum solemniam cum magno fletu ac contritione cordis celebraret. Intentus erat iugiter lectioni atque meditationi sanctæ doctrinæ: Psalmodiæ quoq; pariter studiosissime inuigilans, ita vt penè cotidie Psalterium, aliquando etiam duo vel tria decantaret.

His

His itaque & alijs bonorum operum exercitijs vir Dei suffultus, magnam populis in suimet ostentatione gratiam Domini prætendebat: Sicque doctrina eius duplîcî præfulgebat oraculo, dum quod prædicabat ore, confirmabat exemplo. Pertransiuit itaque in circuitu suæ Diœcesis vir iste Beatus, confirmans populum Christianum, qui olim baptizatus fuerat, & prædicationis verbo multorum ad viam salutis errantium corda compungens. Edificauit quoque Domum Dei miræ pulchritudinis in loco qui dicitur Brema, vbi & Sedem esse constituit Episcopalem, ac dedicauit eam Calendis Nouembris, die Dominico, in honorem Domini nostri Iesu Christi sub inuocatione Sancti Petri Apostoli.

*Templum
Brema ad-
ficatum, &
Sedes Epi-
scopalis ibi.*

CAP. XI.

*Quomodo in Plexem agrotauerit, & mortuus sit,
Brema autem sepultus.*

Post hæc verò cum studio piæ intentionis cunctâ in circuitu perlustraret Parochiam, ac docens ea quæ Dei sunt plurimos in fide corroboraret: peruenit ad locum qui dicitur Pleccateshem, ibiq; consistens, graui cœpit corporis febre vexari & de die in diem languor crescebat fortissimus, ita vt cum eó positi Discipuli illius de vita eius vltiore iam desperare cœpissent. Quorum vnus, qui Beato vi-
ro for-

ro fortè familiarius loqui solebat, nomine Egisrik, accedens ad eum, quasi de obitu eius trepidatione metuerent, ei lacrymabiliter ac questuosè innotuit; intentans etiam plebis commissæ destitutionem admodum periculosam, quæ sub Pastoris regimine tunc tandem diuino cultui parere videbantur. Noli, inquit, Venerande Sacerdos, quos nuper Domino acquisisti, tam citò deserere: Noli populū vel Clerum tuo studio aggregatum tam maturè relinquere; ne grex adhuc in fide tenellus luporum pateat moribus deuorandis: Noli nos humiles clientulos tuæ Sanctitatis defraudare præsentia, ne videamur sicut oues non habentes pastorem errabundi vagari. Cui Beatus vir in hæc cōpunctus verba respondit: Noli, ait, fili mi, me à Domini mei diutius auocare conspectu; noli mihi temporalis molestiam vitæ questuosis depromere vocibus: Nec hic longiūs viuere appeto, nec mori pertimesco; tantum Deum meum, quem toto corde semper dilexi, cui tota intentione seruiui, precari volo, vt mercedem bonæ remunerationis, qualem ipsi placuerit, mihi pro laboribus meis clemens ac propitius conferre dignetur. Oues autem quas mihi credidit ipsi tuendas committo, quia & ipse si quid boni facere potui, illius potiūs virtute peregi: Non deerit eius Clementia, cuius misericordia omnis plena est terra.

B

Pia

Pia ergo deuotione vir Domini cælo semper intentus, & orationis suæ ad Deum iugiter vota præmittens, VI. Idus Nouëbris, die Dominico, post solis ortum, Confessor Domini pretiosus in Christi requieuit nomine. Cuius ad exequias plebs vndique deuota accurrens, Patrem ac Doctorem Beatissimū cum laudibus & hymnis ad Sedem deuehunt Bremensē: Ibiq̄ eum in Basilica noua, quā ipsi ædificauerat, cum honore & reuerentia condigna sepulture tradiderunt.

CAP. XII.

Miracula circa eum post mortem eius, tam in sua quàm altera, in quam translatus est, Basilicâ.

IN quo loco multis & euidentibus sæpe demonstratum est signis, quòd isdem Beatus vir verè Domini sit miles electus. Quæ tamen incuriâ & negligentia prætermissa, non sunt alicubi descripta: licet non pauci extiterunt, qui se scisse fateantur, diuinam in eodem loco sæpius apparuisse virtutem. Sed & in alteram postea translatus ipse Basilicam, temporibus successoris ipsius bonæ memoriæ VVillerici Episcopi; cum inibi quamplura etiam per diuinam dicatur operatus potentiam, non sunt ab aliquo recondita memoriæ, quæ multorum assertio veraci probat impleta miraculo. Non est tamen occultandum silentio, quod ad gloriam Beati viri diui-

*Miraculū
in Baculo
eius.*

diuinitus patefactum haectenus in Bre-
 menfi conseruatum manet Ecclesia. Siqui-
 de baculus hominis Sancti, quem Episcopa-
 li more ipse gestare consueuerat, post obi-
 tum eius fidelium deuotione in quadam
 fuerat arca repositus. Contigit autem, do-
 mum in qua haec eadem arca degebat subi-
 taneo flagrare incendio, & cum domo pa-
 riter etiam arca, cum omnibus quae intus
 recondita fuerant, penitus est consumpta;
 sed baculum ipsum in nullo funditus ig-
 nis attingere potuit, verum in medio ignis
 ita est repertus incolumis, vt nec signum
 quidem ardoris in eo vllum apparuerit. Vn-
 de Deus omnipotens in Sanctis suis verè est
 laudandus, qui in minimis etiam rebus
 meritum ipsorum suis declarat fidelibus.
 Aliud quoque contigit, quod aequè Beatū
 virum magni coram Domino fuisse meriti
 praemonstrat. Calicem quippe eius cum
 quo Sacrificium Domino offerre conti-
 nuè solebat, in quodam loco reconditum
 Discipulorum eius fidissima conseruabat
 affectio: Vbi etiam cum ingestus ignis
 cuncta consumeret, ac si quid forrè metalli
 fuerat opere fabricatum, calore liquefa-
 ctum deflueret, ipse cum esset argenteus
 omninò integer est repertus. Et verè miran-
 da in eo Domini potestas apparuit, vt qui
 vero igne diuini amoris viuens accensus
 fuerat, in eius reliquias post mortem ipsius

*Miraculū
 in Calice e-
 iudo.*

terrenus ignis non valeret. Creatura enim Creatoris subiecta imperio, etiam vim naturæ perdit, cum iussum dominantis attendit. Nec potest aliquid detrimenti quamvis naturâ dictante perficere, cum vis vniuscuiusque naturæ in Creatoris pendeat omnipotentissima voluntate. Mansit autem in Episcopatu Beatus VVillehadus electus Domini Pontifex annis duobus, mensibus tribus diebus 26. & paracto boni certaminis cursu feliciter migravit ad Dominum: cui est honor, & gloria, & potestas, & imperium, per infinita secula seculorum. Amen.
Explicit Vita S. VVillehadi Episcopi: Incipit de Miraculis ipsius.

Tempus Episcopatus eius.

CAPVT. XIII.

Prefatio S. Ansgarij in miracula S. VVillehadi.

Dono Omnipotens Dei, qui gratuita pietatis suæ præordinatione, quosque in Ecclesia Sancta Pastores constituit ac Doctores, Ansgarius Bremensis Ecclesiæ Præsul, vniuersis per orbem concordie fraternitate degenti fidelium societati, pacem & beatitudinem in Christo orat sempiternam.

Laudes Dei quas Sanctorum eius acta miranda testantur, non debere silentio præteriri, multotiens iam exemplis Patrum addiscimus; qui plurima eorum quæ Domini pietas per Seruos suos in hoc exercuit

*S. Ansgarius
 us Scriptor
 Vita Sancti
 VVillehadi.*

cuit seculo, studiosius literis commenda-
 uere. Quæ non solum uiuentium religiosam
 portenderent Sanctitatem, verum etiam
 perenni vita cum Christo regnantium in
 mortalem præmonstrarent gloriam. Re-
 uerâ enim qui hinc translati, adhuc tamen
 miraculis & diuersarum ope virtutum hinc
 populis adesse cernuntur, magnam no-
 bis suæ glorificationis dignitatem osten-
 dunt, & quanti apud Deum sint meriti,
 luce clarius fidelium patefaciunt cordibus.
 Sed & magnum Catholicæ in hoc fidei
 declaratur indicium, dum quod inuisibi-
 liter diuina peragit sublimitas, ac si oculis
 conspiciat, iudubitanter cœlitus factum
 Christiana non diffidit credulitas. Et San-
 ctorum acta deputat meritis, quæ in eis
 sunt locis, vbi sacratissimæ eorum conditæ
 & habentur & venerantur reliquiæ. Quia
 licet solus sit omnipotens Deus Israël, qui
 dat virtutem & fortitudinem plebi suæ,
 tamen mirabilis ipse in Sanctis suis prædi-
 catur & colitur; quorum precibus fit ac
 meritis, vt prodigia & signa Maiestas ope-
 retur diuina. Nec tamen solummodò ibi
 Sancti prodesse cernuntur, vbi tempora-
 liter in cineribus suis ac reliquijs præsentem
 fore videntur: Verum vbicunque fideliter
 inuocati, per eum qui vbique præsens est
 potentiâ & maiestate Creatoris meritum
 ipsorum remunerantis, in omni loco do-

minationis eius fidelibus suffragari creduntur. Quod multis iam & evidentibus sæpius patefactum constat remedijs: quia plurimi sive inter tempestates ac procellas fluctuum, seu inter alia quoque discrimina positi, ad inuocationem cuiuslibet Sancti, subito se diuinitus senserunt adiutos. Vnde si qua Dominus per Sanctos suos miranda dignatus fuerit operari, iure ad noticiam plurimorum, vt posteris in memoria maneat spei, quod priores ob gratiam perceperunt fidei. Quapropter nostra quoque humilitas ea, quæ in diebus nostris per potentiam diuinæ operationis ad ostendenda merita Beati Pontificis & Confessoris VVillehadi patefacta claruerunt, literis indagare censuit; vt quæ in antiquis olim venerata iure prædicauimus Sanctis, nunc in temporibus nostris ab eo qui huius nostræ, Bremensis videlicet Ecclesiæ, primus exiit Pontifex innouata, toto cordis gaudentes annis, suscipiamus pariter ac collaudemus miracula. Non n. immemor Deus adhuc populi sui deseruit quos redemit; verum inter innumera paganorum infestantium discrimina, omni penè solatio destitutus hanc supernæ visitationis voluit impendere gratiam, vt de diuina multò certius præsumerent Clementia, qui tantum tamque Deo acceptum Patronum, in spiritu velut & in corpore secum mane-

manere cognouissent, nec timerent licet vastatam denuo inhabitare patriam, in qua sibi adesse Sanctissimi Patris non diffederent merita: immo læti desertas repperent sedes, quos licet hostilis incurfio fecerit exules, bonis exuberantes diuina rursus reconciliauerit benignitas. Nec desperent sibi præfida Sancti in omnibus affutura, cuius virtutem tam multiplicem in sanandis variè vexatorum senserunt flagrare corporibus.

CAPVT XIV.

Tempus miraculorum.

S. VVillehadi.

ANno itaque incarnationis Dominicæ DCCCLX. Regni verò Domini nostri Serenissimi Principis H Ludouici XXVIII. Indictione VIII. in Ecclesia Bremensi cœperunt diuinitus agi miracula, & de die in diem semper multiplicius crescere, ita vt iam longè lateque per populos rumor increbresceret plurimus, verè diuinam in eodem loco apparuisse gloriam, & merita Beati VVillehadi in eadem Basilica requiescentis honorabili virtutum flore pullulare. Quæ cum per multorum ora volutarentur, & tam in præfentiâ nostri, quàm etiam absentibus nobis, publicè multi ibidem sanitatis adipiscerentur commoda; decreuimus hæc

eadem literis comprehensa posteriorū tradere memoriā: quò vnā nobiscum Deum qui in Sanctis suis operatur, omnis fidelium natio gauisa collaudet. Et sicut præsentes per singula, quæ tunc fortè miranda contigerint, in Domini laudibus tripudiando conclamant; ita etiam post futura religiosorum societas, cœlestem in Beato viro congratulans ammiratur potentiam. Abhincigitur miraculorum gesta ordiri incipientes, primò tempus quoque ipsum, quo hæc agi cœperunt, insinuamus, scilicet, post Pentecosten, Anno Natiuitatis Domini supradictò; post transitum verò Beati viri circiter annis euolutis 70. Qui tamen prius, & in multis Deo dignus apparuit: quamquam hæc negligentia abolita non fuerint celebri peruulgata sermone. Deinde & nomina eorum qui sunt curati, vnā cum valetudinis morbo; sed & loca quoque, in quibus vel progeniti, vel conuersati fuerant, parim prout res se habebat, interserendo texuimus: quò & veritas miraculorum multiplicius attestata commendetur, & singuli ex propinquis vel vicinis suis eius subsidio medicatis, quantam Beati viri persenserint gratiam, deuotius recognoscant.

CAP.

CAPVT IX.

*De quatuor in alijs post mortem
eius factis miraculis.*

Igitur fœmina quædam de Osleueshusun, Tida nomine, per septem annos cæcata, dum quodam Sabbatho dominam suam peteret, quò ad Ecclesiam procederent; illa que responderet, sibi tunc non licere, sed in crastinum manè die Dominico se simul ituras: illa statim maturè diluculo surgens suam acceleravit præire dominam, atque ad Ecclesiam quâdam deducente se aniculâ gressu properare veloci. Quò cum peruenisset, ibiq; orationi dedita solo prostrata incumberet, subitò diuini muneris dono lumen recepit amissum. Cumq; post eam veniens domina ipsius Basilicæ penetraret intima; eamque ex ipsa loquela præsentem adesse cognosceret, repentè ad illam accurrit gaudens, & dicens: Mea domina desideratissima, Gratias Deo omnipotenti & laudes refero, quia meritis Beati Vvillehadi te oculis meis videre promerui. Quod factum illa ammirata, cunctis ibi astantibus confestim enarrauit, & quòd verè illuminata fuerit, multorum testimonio approbante patefecit. Sicque hæc virtus in populo ad clarificationem Dei publicè manifestata est.

II. Rursus de pago Emisga fœmina quædam

dam nomine VVimod nouem annis cæcitate perpeffa, cum quodam die vespertino tempore ad Ecclesiam conueniret prædictam, ibique factâ oratione post vesperras hospitium vbi erat mansura repeteret, subsequenti nocte ei quod ex amisso lumine salutis ibi esset remedium perceptura, in visu est denunciatum. Cui rei ipsa ex voto vtrunque credula Ecclesiam statim adire studuit, ibique merita Sancti toto inuocans corde, diuinâ adiuta gratiâ, luminis quod amiserat recepit officium. Quod etiam ad gloriam Dei multorum attestatione continuò patefactum claruit.

III. Post hæc autem die Natiuitatis S. Iohannis Baptistæ in conuentu populû maximo, septem languidi à diuersis sunt infirmaribus liberati. Quod quia per singula enarrare non necessarium duximus: duo tamen eorum, quæ peracta sunt miraculorum singulatim perstrinximus; quò ex his etiam cætera valeant intellectu perpendi. Nempe vna ex ipsis fœmina quædam fuit, ex villa in proximo sita Luidvvinenshusun, nomine Simod, quæ tribus aut eo amplius mensibus oculorum priuata lumine, ibidem nutu Dei gratiam pristinae visionis recepit. Altera quoque de villa ipsius loci, videlicet Brema, exitit, morbo contracta fœmina, quæ in infantia dum fortuitò ignis adustione pede cremaretur, nullâ

nullâ subueniente medicinâ articuli sursum versi penè ex toto pedem ei subuerterant. Quæ multis annis eandem perpessa molestiam, præfato die cunctis astantibus pedis & articulorum extensio sanitatem promeruit.

IV. Porrò ex Laris de villa Sluttra vocabulo, quædam fœmina fuit per multos annos incuruata, quæ non aliter ambulare nisi manibus reptando poterat, nec omnia sursum respicere: ad postremû quoque ita morbo perurgente debilitata fuerat, vt non, nisi portaretur, aliquid deuenire potuisset. Quæ etiam habebat filiam, quam ex ipsa infantia natiuo lumine cæcitas obscurauerat. Hanc itaque, auditâ miraculorum virtute, simul cum filia propinqui vel vicini ad ianuam Bremensis detulerunt Ecclesiæ. Quæ inibi posita, cùm fide aliorum subuecta aduenisset, miseratione diuinâ & de filiæ illuminatione gaudere promeruit, & semetipsam gestans ac sursum erecta, proprijs gressibus notas repedaui ad sedes.

CAPVT XVI.

*Alia quinque S. Vvillehadi
miracula.*

V. **I**tem ex Laris de villa Falathorp, duæ fœminæ, vna contracta, & altera orba, cùm ad eundem locum deductæ fuisset, diuis

diuini muneris largitate incolumes ad propria sunt reuersæ.

VI. Ex pago quoque supradiçto de villa Bokkenhusun, quidam adolescens multo iam tempore paralyticus, ad eundem locum deductus, diuino nutu incolumitati pristinæ redditus, ad propria redijt sanus.

VII. Cæterùm de pago Ostarburge ex villâ nomine Baldrikeswich quædam fœmina, vocabulo Adsuit, paralyti valdè grauitè & diu vexata, cùm quadam die Dominica eò adducta fuisset, & multi in eâdem die, septem videlicet vel octo, ex diuersis curati fuissent languoribus, ac post Missæ celebrationem hoc idem populo denunciaretur, & pro exhibitis miraculis tam Clerus quàm & populus laudes Deo debitas modulatis decantaret vocibus, subito ipsa è medio populi surgens, ad gradus Altaris, vbi alij ægroti sanati iacebant, cœpit accurrere. Quæ cùm à circumstantibus, ne in Chorum Clericorum canentium fortè prosiliret, retineri conaretur, ipsa, quòd sibi præceptum fuerit quòd antè Altare cum alijs sese collocaret, menti alacri fatebatur. Visum namque ei fuerat, quòd Sacerdos qui de aliorum sanitate populo annunciauerat, ei quoque vt surgens cum cæteris ad Altare procederet manu annuerit.

rit. Cuius requisitâ infirmitate ac sanitate patefacta, omnes ad laudandam omnipotentia diuinæ maiestatem, atque extollenda Beatissimi viri merita tantò instantiùs, quantò & iterata virtute optabilius corde compuncti lacrymisque præ gaudio obortis denuo alacres personuerunt.

VIII. Denique ex VValdsatis quædam fuit scemina de villa VVillianstedi, nomine Ikkia, quæ septem annis visus fuerat cæcitatem perpessa, cui cum de præfato loco signa miraculorum iam famâ vulgante vbiq̃ue percrebrescerent, quædam vicina sua exhortans dixit: Quare non & tu Sanctum Dei exquirere conaris, vt tibi quoque lux oculorũ patefacta clarescat? Illa autem se libentissimè ita velle respondit, verum hoc tantum suo repugnare desiderio, quia non haberet ductorem. Cui illa denuo subiunxit: Ecce! si alium non habes, ego te quomodocunq̃ue potero illuc deducam. Cuius illa promissum, quia aliud sibi nesciebat refugium, gratantissimè accepit. Erant autem ambæ pauperculæ: arrepto itaque itinere ipsæ duæ tantummodò, Domini secum comitante gratiâ, ad præfatum tandem peruenerunt Sanctuarium. Vbi cum deuotè precibus insisterent, illa quæ cæca fuerat subitò illuminatur; Et conuersa ad sociam suam subridens atque congratulans dixit: ô quàm benè quàm benè mihi

mihî tuum contigit audisse consiliûm, vñ
Sanctum Dei perquirerem, Ecce, vnâ re-
cum lumen cœli video! Hoc itaque fa-
ctum statim publicè prædicatum, magnam
populis diuinæ miserationis spem dedit:
quoniam secundùm Psalmistæ dictum, Illi
derelictus est pauper. Ideoque & ipse refu-
gium est pauperum in tribulatione, pupillo
quoque & orphano ipse promptus semper
erit adiutor. Recepto itaque luminis visu,
ipsa iam non sociâ ducente, sed pariter co-
mitante, ad suum sana redijt tugurium,
Dominilaudes semper cantando, & com-
patis suæ salutaria monita, gratias iugi-
ter referendo extollens.

IX. De pago autem quædam fœmi-
na æquè Ikkiâ vocata fuerat, quæ per
multa annorum curricula à cingulo vsque
deorsum paralyti ita contracta exitit, vt
de membris ipsis nihil penitus sentiret, nec
quoquam ire nisi cum scabello sese trahen-
do posset. Quæ ad sanctum perueniens lo-
cum Domini miseratione viribus reparatis
suis se pedibus quò voluit ipsa subuexit.

CAPVT XVII.

Alia Sex S. VVillehadi miracula.

X. **Q**uidam verò homo indigena, cau-
sâ paupertatis circumeûdo stipen-
dia quærens, ad Basilicâ Sancti dudum con-
generat Alexandri, qui habebat filiastram,
secum

secum circumeuntem cæcam, & ipse quoque duplici pœna multo tempore orbitatē sustinens: vbi cum morarentur, contigit meritis Sancti prædictam filiastram ipsius vnus oculi visionem percipere. Quo dono exhilarati, vltiora progredientes, ad Oratorium peruenerunt Bremense: Vbi in oratione positi, Beati VVillehadi intercessione multiplici sunt fœnore ditati. Nam & ipse amborum visionem percepit oculorum, & filiastra ipsius alterius quoque illuminatione est gauisa. Quod cum fidelium qui affuerant denunciaretur testimonio, plebs omnis exultando laudem dedit Deo.

XI. Præterea ex pago Nordvvidu quidam homo ad limina memorati Martyris olim transierat Alexandri; qui mutus simul & surdus diutino labore ab infantia miserabili potiebatur vexatione. Meritis præfati Martyris auditum percepit. Vltra verò tendens, & ad Basilicam Bremensis Ecclesiæ perueniens, diuinæ largitatis clementiâ loqui pariter & audire Beato willehado interpellante promeruit.

XII. Item ex Laris de villa Otishusun, cuiusdam Frideberni filia omnibus membris diutino fuerat contracta languore: quæ ad prædictam deducta Basilicam per dies septem grauissimam in corpore mole-

molestiam pertulit, ita vt iam penè exanimis præ doloris crederetur magnitudine. Sed tandem diuinâ annuente clementiâ lenius agi cœpit, & ad pristinum reparata officium meritis Sancti incolumitatem recepit. Quæ paternam reuifens domum, omnibus sana membris, parentibus ac vicinis festiuum planè exhibuit gaudium.

XIII. De Steornigis quoque ex villa Gandrikesard quædam fœmina Herimod nomine, duobus annis surda extiterat: quæ ad prædictum deueniens locum, intercessione Sancti audiendo redire meruit.

XIV. Item de Laris de villa Falathorpè duæ illuc aduenerant fœminæ, vna incuruata nomine Hathaburg, & altera orba nomine Macsvvid: quæ diuinum ibi flagitantes præsidium, ambæ cum sanitatis gaudio proprias sedes lætabundæ reperierunt.

XV. Porrò de Wege villa publica, quædam puella multo tempore omnibus infirmata membris nihil omninò virium in proprio retinebat corpore: Ad confessionem itaque deducta Sancti, diuinæ largitatis munificentiam & virium possibilitatem, & totius corporis recepit sanitatem.

CAP.

CAPVT XVIII.

Alia septem S. VVillehadi miracula.

XVI.

CÆterùm de Sturmi ex villa Ekina, quædam fœmina vocabulo Gerswid, cœcitatem multo tempore passa, in eodem loco posita, lumine est priuato donata.

XVII. Similiter quoque de Stenthorpe, pagi quædam fœmina diutius cœca, dum orationi decumberet, auxiliante Beato viro, luminis est curata remedio.

XVIII. Denique ex Fresia de villa Westanko vir quidam cœcus Meinradus, eò adueniens supernâ illustratus gratiâ luminis recepit officium.

XIX. De Laris ex villa Hahthoreinmod nomine, nouem annis cœcata Sanctissimi viri precibus longè optatam ibi recipere visionis promeruit gratiam.

XX. Ex Wihmodis autem de villa Midlistanfadarvurd, quidam hōmo manu multis admodum contractus annis, ibidem Domino tribuente incolumis est redditus.

XXI. Item de Wigmodis ex villa VVestristanbeuerigisati fœmina Thiadgardis nomine diu cœca, ibidem est illuminata.

XXII. De Sturmi verò ex villa Ekynon, Akko quidam vocabulo, iam quodam in brachio vulneratus fuerat: Cui cùm nulla subueniret medicina, armum ad omnia opera multis

C

multis

multis annis inertem habuit. Qui illò veniens, & dierum suorum ociosam consumptionem deplorans, auxiliumque Beati viri exostulans, supernâ donante gratiâ, cum diu dolore brachij torqueretur, tandem sanatus portectam extendit dexteram. Pro cuius incolumitate cum omnes Deo gratias retulissent, ille domum reuersus, fiducia iam suæ sanitatis ammonitus, & de Dei misericordia certissime confusus, vxorem suam, quæ multo iam tempore in cæcitate permanerat, secum ipse ad eandem reduxit Ecclesiam. Vbi cum pro concessò remedio vir fide corroboratus mulieri beneficium, & mulier quoque viri sui doctrinis ammonita Dominum sibi inhianter posceret adesse propitium, cœlitus inspirato lumine subito mulier clarè cœpit cuncta videre. Quod statim in populo declaratum magna fidei tribuit incitamenta, & cunctorum animos ad credulitatem diuinæ confirmavit potentia. Cumque pro eorum salute Clerus ac populus personaret, ipsi ad propria gaudentes reuersi, tantò alacrius atque studiosus labori cœperunt insistere, quantò se meminerunt ociosè vacantes dies multos antea perdidisse.

CAPVT XIX.

Alia quinque S. VVilchadi miracula.

XXIII.

DE Laris quoque concepta iam dudum
diuina

Quina creuerūt miracula. Nam quidam Rho-
udvvig, ex villa Stenbike, tribus annis mutus,
cū inibi positus auxilium Beati viri implo-
raret tacitus, diuinā miserante gratiā aperto
ore subitō Domini cōepit enarrare magnalia.

XXIV. Item de villa Rehtereslet, quā-
dam fœmina multis fuerat annis morbo ita
contracta, vt nec in lecto se in alteram partem
absq; adiutorio posset mouere, nec vlius mē-
bri aliqua prorsus cōmoditate potiretur. Quā
cū amici fide excitati ad confessionem de-
ueherent Sancti, ibique in medio posita gra-
bato, ac si feretro tanquam prēmortua decu-
baret, subitō sana prosiluit è lecto, & prorum-
pens in medium laudes concinebat Domino.
Nec iam curans grabati præsidia in pace di-
missa viam quā aduecta fuerat proprijs gres-
sibus ambulabat intrepida.

XXV. Porrò de villa Bouchem ex pago
Lohingao quædam fœmina Siberin vocata,
cū infirmitate cogente omnibus esset mem-
bris inualida, ita vt nihil ei iurium in proprio
esset corpore, meritis Beati viri ibidem sani-
tatem adeptā est integerrimam.

XXVI. Rursus de Latis ex villa Eggrikes-
husun, quædam fœmina ab infantia ita exti-
terat manca, vt nulli vnquam vsui aptari al-
tera fuerit manus: quæ cū in sancto posita
loco auxilium diuinæ miserationis corde po-
sceret intimo; subitō sana manibus plaudens
virisque iubilationem Deo in voce reddebat
exultationis.

C 2

Sed

XXVII. Sed & de Liastmona quædam fuerat ancilla venerandi Comitis Hirimanni, quam ipse causâ operis rextini in domo sua Herthas cum alijs ancillis esse præceperat: quæ cum ibidem posita dominico inesset seruitio, occulto quidem, sed recto Dei iudicio aliâs sana, loquelæ tantùm est amissione damnata. Quâ cum diutius molestiâ premeretur, nec aliquid præterus loquendo resonare valeret, prædictus Comes miseratione Domini compunctus, libertatem ei pro animæ suæ tribuit remedio; sicque inde dimissam ad propria redire permisit liberam. Deducta igitur à comitibus ad Bremam peruenit, statimque Ecclesiæ, adire deuotâ, vt creditur, intentione curauit. Namque rerum effectu claruit, quid ipsa fidei mente tractauerit. Properans quippe ad fores Ecclesiæ, statim misericordiam Domini sibi obuiam sensit. Nam in ipso introitu Basilicæ, cum ingrederetur fores atrij, impedimento linguæ repente resoluta, altius exclamare ac laudes canere Deo cœpit. Cuius cum causam coram positi requirerent, quæ gesta fuerant planè ac dilucidè enarrauit. Sicque hæc virtus aliorum etiam testimonio in populo declarata Beati viri merita cumulauit eximia. Quæ inde ad paternam se transferens domum, cum ipsa hilaris iret ac læta, sanitate simul ac libertate donata parentes quoque ac propinquos ex suo fecit aduentu ac prosperitate gaudere.

CAP.

Item de Bremis puella quædam nomine VVige, diu muta & omnibus quoque membris contracta, ita vt non aliquò nisi ab alijs delata sese transferre posset, in eodem loco meritis Beati viri & loquelæ vsu & membrorum omnium recepit officium.

XXIX. Posthæc etiam de Vpriustri quædam fœmina ex dextra parte à tempore natiuitatis manca, nomine Tethileis, Domino auxiliante ibidem est sanata.

XXX. De VVigmodis autem ex villa Medemahem, fœmina quædam Ida vocabulo, nouem annis cœcitatem passa, ibidem Domini gratiâ oculorum donata est lucisua claritate.

XXXI. Cæterùm de Riustri ex villâ Smalonsflet, quædam fœmina Dislith nominata, per vndecim menses vno oculo cœcata, illò adueniens Beati viri meritis amborum se gaudisa est potitam lumine.

XXXII. Ex villa quoque Tadinghem, quædam fœmina Egilmare vocata, quatuor annis paralytica, eadem à parentibus in carucâ adducta, adiuuante supernâ gratiâ proprijs gressibus gaudens remeavit ad propria.

XXXIII. Denique ex loco Ciritothe nūcupato, quædam fœmina anno vno ac dimi-

dio luminibus oculorū orbata, exorante Beato viro, ibidem sanitatem recepit illuminata.

XXXIV. Porro de Liastmona quædam fœmina Rotgardis vocata, multis iam annis vno pede clauda, cum duobus baculis præfata adiens Basilicam, gressu amissi pedis sibi reddito, sensit Beati viri verè diuinitus concessam in eodem loco flagrare virtutem.

CAPVT XXI.

Conclusio miraculorum S. VVillehadî.

F Verunt præterea multi causâ recuperanda salutis ad eundem locum properantes meritis Beatissimi Pontificis in viâ sanati. Quorum aliorum relatione innouit sanitas: quia nequaquam ipsi, vii cœperant, locum sanctum expetere curauerūt. verum magis sanitate donati, ex itinere redeuntes ad propria festini cum gaudio sunt reuersi, Dominum & Beatum VVillehadum magnificis laudibus prædicantes.

Verum nos, ne prolixior narratio onerosa fiat legentibus, hæc & alia multa intermisimus, quæ tamen plurimorum ore vulgata in populis habentur. Corpus autem ipsius Sancti, quod iam tunc à loco requietionis suæ in alteram translatum fuerat Basilicam nos cum maxima fidelium turma ac Cleri innumera-bilis conuentu, exinde sublato feretroque impositum magnis populorum vocibus in laudem Dei ac Beati viri concrepantibus die depo-

*Corpus S.
VVillehadî
secundò tras-
latum in se-
cundâ Basile-
licam.*

depositionis illius, in nouâ, quam tunc dedi-
cauimus, collocauimus Basilica: Vbi hono-
rificè compositum, magnificè postmodum,
atque innumeris claruit virtutum indicijs; &
de die in diem meritis Beati viri multiplicia
inibi crescunt miraculorum signa. Agitur au-
tem dies depositionis eius simul & transla-
tio corporis VI. Idus Nouembris, ad lau-
dem & gloriam Nominis Domini nostri Ie-
su Christi, qui cum Patre & Spiritu Sancto
vnus & verus Deus viuit & dominatur
per immortalia secula seculorum.

Amen.



C 4

VITA

S. ANSGARII.

incipiunt Capitula in vitam Beatissimi Ansgarij, Hammenburgensis seu Bremensis Archi-Episcopi & Confessoris: in Christi nomine. Amen.

1. **Q**ualiter ab infantia reuelationibus inspiratus, & per visionem à Dei Genitrice MARIA ammonitus, ut vanitatem fugeret.
2. Qualiter post mortem Karoli Imperatoris in sancta nocte Pentecostes deductus sit per Beatum Iohannem Baptistam, & sanctum Petrum Apostolum, primò ad ignem purgatorium, deinde ante maiestatem Domini.
3. Qualiter in Oratorio Iohannis Baptista per visionem IESVM CHRISTVM viderit, & ei peccata sua confessus sit.
4. Qualiter animam discipuli sui Fulberti ad cœlum deferri, & inter Martyres collocari cognouerit.
5. Qualiter in Sanctitatis gratiâ proficiens ad nouam Corbeiam docendi causâ destinatus sit.
6. De conuersione Herioldi Regis, & qualiter ipse, S. Ansgarius, & Audbertus ad partes Danorum directi sint.
7. Qualiter prefati Serui Dei apud Danos quoslibet ad viam veritatis monerent, & quod Scholas ibi statuerint, ac peracto biennio Audbertus ad nouam Corbeiam deductus & defunctus sit.
8. De legatione Sueonum ad Imperatorem Ludovicum, postulantium, ut eis Prædicatores mitteret

- ret, & de visione Patrie Ansgarij, ut annuntiaret.
9. De Legatione ipsius & VVidmari ad Sueones, & quanta aduersa in ipso itinere passi sint.
10. Qualiter ad Bircam venientes à Rege Sueonum Bern suscepti sint, & Herigarius Praefectus fides credulitatem suscepit.
11. Qualiter ad Imperatorem reuersi sint, & ipse cum consensu Episcoporum vltra Albiam Episcopalem Sedem constituuerit, ad quam Sanctum Ansgarium consecrari fecit: & quod ad eandem sedens Cellam Thurhole vocatam subiugauerit.
12. Qualiter Romam directus auctoritate Papa Gregorij IV. Pallium suscepit, & Legationem ad partes omnium Septentrionalium & Orientalium Nationum, quocumque modo nominatarum.
13. Qualiter Gauthbertus qui & Symon, ad Sueoniã peruenies, honorisf. è à Rege & à populo susceptus sit.
14. Qualiter Ansgarius Archi-Episcopus suum strenue implevit officium, & ex paganis pueros ad seruitium Dei redemerit: & Hammaburg à piratis depraedata & combusta sit.
15. Quomodo Sueones Symonem Episcopum à finibus suis expulerint, & ultio diuina illius expulsio- nem subsequuta sit.
16. De profectioe Anachoreta Ardgarij ad Sueoni- am, & de fide Herigarij.
17. De fide matrona religiosa Frerhuburgis.
18. De reuersione Ardgarij post mortem Heriga- rij, & de morte HLudovvici Imperatoris.
19. Qualiter HLudovvici iunior cum consensu Episcoporum Episcopatum Bremensem causã solarij

Hanc in aburgensi Sedi subiunxerit.

20. Qualiter Guntharius Coloniensis Archi-Episcopus huic constitutioni resisterit, & postea consenserit, & per Salomonem, Constantia ciuitatis Episcopum ad Apostolicam Sedem directum à Papa Nicolao hac eadem res Apostolica auctoritate firmata sit.
21. De familiaritate Ansgarj Archi-Episcopi apud Horicum Regem Danorum.
22. Qualiter Sacerdos Domini ad partes Sueonum iter suum preparauit, & per Visionem Adalhardus Abbas ei prouentura nunciari.
23. Quod in eadem Legatione Missum & Signum Horici Regis habuerit, & populum inuenerit errore confusum.
24. Qualiter cognouerit gratiam Dei secum comitari, & de consensu populi, ut Christianitas apud eos haberetur.
25. De consensione Regis, ut apud eos Ecclesia fierent, & quomodo Dominus Episcopus Erimbertus Sacerdotem manibus Regis commendari.
26. De Visione quam prauidit in angustiâ mentis.
27. Qualiter virtus Domini Sueonibus patefacta sit, & ipsi vota spontanea Domino promiserint.
28. De morte Horici Regis & de persecutione iunioris Horici : & quomodo postea conuersus, quas antecessor suus concesserat, stabilierit & auxerit.
26. Quomodo Ansfridum Dominus Archi-Episcopus miserit, & post eius reuersionem Raginbertum, & post eius mortem Rimbertum.
30. De vita & conuersatione Sanctissimi Patris Ansgarj.

- 31. De Pastoralis eius gratia, & quomodo contumaces, mandatum eius prauaricantes, ignem diuine ultionis senserint.
- 32. De prauaricatione Nordalbingorum, & correptione, & qualiter id ipsum Archi. Episcopo prius coelitus ostensum sit.
- 33. Quod multi oratione illius, & vnctione olei sacri sanati sint: & de infirmitate & vltima fatigatione corporis eius: & qualiter pro tristitia animi sui per excessum mentis diuinitus consolatus sit.
- 34. De procuratione rerum suarum, & de transmigrationis eius tempore.

INCIPIIT VITA SANCTI ANSGARII ARCHIEPISCOPI.

Saluatio.

Dominus Sanctissimis & in Christi amore præcipua veneratione recolendis, ac diligendis Patribus & Fratribus in sacratissimo Corbeia Cœnobio Deo militantibus, Filij atque Discipuli Reuerendissimi Patris Ansgarij perennem felicitatis orant in Domino Dominantium pacem & salutem.

*Huius Descriptio
pionis an-
torem offe
S. Rimbo-
eū, constat
ex eius Vita
cap. 2. infra*

Prefatio: querelam de morte S. Ansgarij continens.

Qui per Domini gratiam Pastoris boni munere delectati, prædicationibus & exer...

exemplis informati, meritis & intercessionibus suffulti, nunc tandem eius præsentiâ desolati; satis perpendimus, quid pro nobis gemendum, quid uè pro eo gratulandum sit. Etenim verus Dei cultor abstinens se ab omni opere malo, & in simplicitatis molestiâ permanens, certam de se præbuit fiduciam, quòd hinc sublatus, ad eum quem semper totâ deuotione dilexit, cuique semper animo intendebat, sine cunctatione peruenerit. Vnde pro retributionis eius præmio verè nobis gratulandum credimus; pro nostrâ autem desolatione necessariò supplicandum: vt qui humanitus tanto destituti sumus Pastore, cœlitus diuino muniri mereamur auxilio. Inter varias etenim pressurarû angustias positi, veraciter iam sentimus quid amiserimus, & quid pro nobis dolere debeamus satis intelligimus. Viuente enim ipso, nihil nobis deesse credebamus: Eius namque Sanctitatem Reges honorificabant, Pastores Ecclesiarû venerabantur, Clerus imitabatur; Et dum illum cuncti Sanctû & Iustum prædicarent, nos quoq; tanquam corpus capitis pro eius bonitate venerandi ac laudabiles videbamus. At nûc tanto munere frustratide nostris meritis non præsumimus, quin magis timido corde expauescimus, ne peccatis promerentibus luporum patere incipiamus moribus. Mundus nâque in maligno positus, magis ea quæ iusta & sancta sunt euertere, quàm religiosa quærere erigere: Et inimicus huma-

huma-

humani generis diabolus, quanto sanctiorem ac religiosiorem quemque conspexerit ducere vitam, tanto maiori conamine aduersa quæque obijcit, ut ea quæ sancta sunt destruat, & ne ab alijs imitentur callida persuasione ac pravis intentionibus auferat. Nos itaque interformidolosa pericula suspirantes, licet multiplicia mala temporaliter timeamus, diuinum tamen adiutorium nobis licet indignis non defuturum credimus. Ideoque vestram deuotissimam Sanctitatem supplici corde rogamus & petimus, ut memores nostri intercedere pro nobis ad Dominum dignemini; quod nunc nos eius misericordia non derelinquat, sed adiutor noster benignissimus noxia cuncta à nobis depellat: sitque nobis refugium in tribulatione, qui non deserit sperantes in se. De illius itaque clementiâ præsumentes, spemque nostram in eius misericordiâ collocantes, & quod nobis contingere, vel qualiter in futurum subsistere debeamus, illius iudicio derelinquentes, pietatis eius gratiam toto cordis ac mentis affectu collaudamus & gratificamur, qui nobis vel ad tempus tanto concessit uti patrôno. Vestræ quoque sanctissimæ Paternitati gratiarum actiones immensas referimus, quia vestro beneficio ac licentiâ talem meruimus Patrem habere. Cuius exempla si quis imitari voluerit, cœlestem quodammodo in terris habebit conuersationem; si quis doctrinæ eius recordatus fuerit,

*De hoc paragrapho
vide in No-
ria.*

rit,

rit, viam mandatorum Dei sine errore incedere poterit: si quis adhortationes attenderit laqueos inimici præcauere studebit. Huius itaque Sanctissimi Patris memoriam, stylo exartate decreuimus; & qualiter apud nos vixerit, quidq; de eo nobis cognitum extiterit, vestrae Reuerentiæ scriptis innumare; quod & diuinam Clementiam in Beato viro, vestra quoque nobiscū collauder affectio & imitari volentibus exemplū salutis fiat eius Sanctissima deuotio.

CAPVT I.

Qualiter ab infantia, Reuelationibus sit cœlitus inspiratus, & per visionem a Dei genitrice Maria ammonitus, vt vanitatem fugeret.

Huius religionis Sanctitas, diuinā largiente gratiā, ac in eunte crescere cœpiētate, & per singula ætatum momenta sui multiplicauit augmenta. Namque ab infantia spiritalibus reuelationibus cœlitus inspiratus, & per Domini gratiam supernā visitatione est sapius ammonitus, quod mentem suam à terrenis disiungens toto corde cœlestibus inhiaret. Quas quidem Reuelationes ipse quibusdam nostrūm, qui ei familiarius adhererebant innotuerat, eo tamen tenore, ne tempore vitæ suæ cuiquam manifestarent. Quas nos ad laudem Domini, post obitum eius huic operi interserere elegimus, vt quique legentes agnoscant, quantā gratiā Dominus Seruum suum è primæua ætate corrigere, ac dein-

deinceps succedentibus bonorum operum
 meritis clarificare dignatus fuerit. Referebat
 namque quòd in tempore pueritiæ suæ, cum
 quinque ferè esset annorum, mater sua in Dei
 timore admodum religiosa defuncta fuerit;
 ac non multo post tempore ipsum pater suus,
 causâ discendi literas, ad scholam miserit. Vbi
 cum esset positus, cœpit, vt ætati tali familia-
 re est, cum coæuis suis pueriliter agere, & dis-
 cursibus inanibus atque iocis magis operam
 dare, quàm discendæ disciplinæ instare. Cum
 que puerili ætati taliter deditus esset, visum *Visio S. Ansga-
 garij prima.*
 est ei quadam nocte, quòd esset in quodam
 loco nimis lutofo & lubrico, ita vt inde non
 nisi cum magnâ difficultate exire valeret. Se-
 tus illum verò locum esse viam amœnissimã,
 in qua videbat procedentem quasi quandam
 Dominam omni ornatu & honestate præcla-
 ram; plures verò alias fœminas dealbatas,
 cum quibuserat & mater sua. Cumque eam
 recognouisset, cœpit velle ad eam accurrere,
 sed loco illo cœnoso & nimis lubrico, non fa-
 cilè exire poterat. Chorus autem ille fœmi-
 narum cum ei appropiasset, visum est illi; eam
 quæ quasi Domina aliarum videbatur, quam
 ille indubitanter Sanctam MARIAM esse
 credebat, ei dixisse: Fili, vis ad matrem tuam
 venire? Cui cum ille respondisset, inhianter
 se velle; rursus illa intulit: Si nostræ societa-
 tis particeps esse volueris, omnem debes va-
 nitatem fugere, & iocos pueriles dimittere,
 ac te-

ac temetipsum in grauitate vitæ custodire. Valdè enim nos detestamur omnia, quæ vana & ociosa sunt; nec potest in nostro conuentu esse, quicumque his fuerit delectatus. Post hanc itaque visionem statim se cœpit grauius agere, & puerilia consortia vitare; lectione autem, meditatione, cœterisque utilitatibus artiùs se occupare, ita vt socij eius valdè mirarentur quòd tam subitò in aliam mutatus sit conuersationem. Cumque post hæc apud vos tonsoratus, atque in Monasticis disciplinis positus adolescentior fuisset factus, humanâ subrepente fragilitate, aliquantulū cœpit à propositi prioris rigore frigescere.

CAPVT II.

Qualiter post mortem Karoli Imperatoris in sancta nocte Pentecostes deductus sit per B. Iohannem Bapt. & S. Petrum Apost. primo ad Ignem Purgatorium, deinde ad Maiestatem Domini.

INterim verò contigit, eum Domini excellentissimi Karoli Imperatoris obitum audisse, quem ipse antea in magnâ potentiâ gloriosum viderat, atque cum magna prudentia Regni sceptrâ laudabiliter gubernasse audierat. De tanti itaque Imperatoris excessu ipse nimio terrore atque horrore perculsus, rursus cœpit ad se redire, & ammonitionis Sanctæ Dei Genitricis ad memoriam verba reducere. Sicque omni postposita leuitate compunctio-

punctionis diuinæ cepit amore languescere, totumque se in Dei seruitium conuertens, orationi & vigilijs, atque abstinentiæ operam dabat. Cumque his virtutum exercitijs verus athleta Dei insisteret, atque in hac grauitate permanenti mundus illi mortuus fieret & ipse mundo, adueniente sancto die Pentecostes, gratiâ Spiritus Sancti, quæ in eadem Festiuitate super Apostolos effusa est, etiam mentem illius, vt credimus, illustrante atque exhilarante, visum est illi eadem nocte, quod quasi casu subitaneo mori deberet, & in ipso mortis articulo Sanctum Petrum Apostolum & Beatum Iohannem Baptistam in adiutorium sibi inuocasset: cumque anima, vt ipsi videbatur, egrederetur à corpore, ac statim in alia pulcherrima specie corporis, omni mortalitate ac sollicitudine carentis appareret, sub eodem momento mortis & admirationis apparuerunt præfati viri. Quorum erat vnus senior cano capite, capillo plano & spisso, facie rubenti, vultu subtristi, veste candida & colorata, staturâ breui, quem ipse Sanctum Petrum esse nemine narrante statim agnouit. Alius verò iuuenis erat, staturâ procerior, barbam emittens, capite subfusco atque subcrispo, facie macilenta, vultu iocundo, in veste sericâ, quem ille Sanctum Iohannem esse omninò credidit. Hi itaque eum hinc inde circumsteterunt. Porro anima eius egressa, statim in immensâ claritate, quâ totus mundus

Visio S. Ansgarij secunda.

Descriptio S. Petri Apostoli. & B. Iohan. Baptistæ.

D imple-

*Purgatoriu-
m.*

implebatur, sibi videbatur esse: per quam claritatem illum nullatenus in aliquo laborantem, Sancti supra dicti miro & ineffabili modo ducentes, cum peruenissent ad locum quendam, quem ipse ignem Purgatorium esse nemine narrante certissime sciebat, ibi eum dimiserunt: vbi cum multa passus esset, precipue tamen tenebras densissimas, pressurasque immanissimas, & suffocationes vilis est tolerasse; atque omni memoria ablatâ, hæc solum vix cogitare sufficiebat, quomodo tam immanis posset aliqua existere pœna. Cumque per triduum, vt ipse putabat, ibi cruciaretur, quod spatium illi mille annis longius, propter immensam pœnam visum est, rursus redeuntes iam dicti viri, iterumque illum hinc inde circumstantes, & longè maiori quàm prius alacritate lætantes, atque in omnibus multò suauius incedentes, per maiorem si dici possit claritatem, gressu immobili sine via corporea ambulantes ducebant. Et vt verbis ipsius utamur, Videbam, inquit, à longè diuersos Sanctorum Ordines, quosdam viciniùs, quosdam verò longiùs, ab Oriente assistentes, ad Orientem tamen respicientes, ipsumque qui in Oriente apparebat collaudantes, quidam submissis capitibus, quidam lupinis vultibus, penisque manibus adorabant. Cumque peruenissemus ad locum Orientis, ecce 24. Seniores, secundum quod in Apocalypsi scriptum est, in sedibus sedentes, seruato introitu amplif-

*Maestas
Domini.*

amplissimo, apparuerunt. Qui & ipsi reuerenter ad Orientem respectantes, ineffabiles Domini laudes promebant. Laudes verò in commune canentium suauissimam mihi refectionem ingerebant; sed post reuersionem ad corpus retinere nullo modo poterã. In ipso verò Orientis loco erat Splendor mirabilis, nimia lux accessibilis atque immensæ claritatis, cui inerat omnis color pretiosissimus, omnisq; iocunditas: Omnes verò Sanctorum ordines qui vndique latantes circumstabant, ab ipso gaudium hauriebant; qui splendor tantæ magnitudinis erat, vt nec initium eius nec finem contemplari valerem. Et cum circumquaque longè vel propè respicere possem, in ipsa immensitate luminis quid intus haberetur contemplari non poteram, sed tantum superficiem cernebam: ipsum tamen inibi esse credebam, de quo Petrus ait; In quem desiderant Angeli prospicere. Ab ipso namque claritas immensã procedebat, ex qua omnis longitudo & latitudo Sanctorum illustrabatur: Ipse quoque quodammodo erat in omnibus, & omnis in eo: Ipse omnes exterius circumdabat, ipse omnes interiùs satiando regebat: Ipse superiùs protegebat, ipse inferius sustinebat. Sol verò & luna nequaquam lucebant ibi, nec cælum ac terra ibidem visa sunt. Sed neque ipsa claritas talis erat, quæ oculos contemplantium impediret, sed quæ oculos gratissimè satiaret. Et cum Seniores sedentes di-

D 2

xerim;

xerim; in ipso quodammodo sedebant: nam nil corporeum erat ibi, sed erant cuncta incorporea, licet speciem corporum habentia, & ideò ineffabilia. Circa sedentes verò splendor ab ipso procedens, similis arcui nubium tenebatur. Cùm itaque à præfatis viris coram hac immensitate luminis, vbi mihi Maiestas Dei omnipotentis nemine monstrante esse videbatur, præsentatus fuisset, vox suavissima omni sonoritate clarior, quia mihi omne seculum visa est compleuisse, ab eadem Maiestate procedens, ad me facta est, dicens: Vade, & Martyrio coronatus ad me reuertaris. Ad quam vocem omnis conuentus Sanctorum, Deum hinc inde laudantium contuit, atque submissis vultibus adorauit. Denique speciem, à qua hæc vox formata esset, prorsus non vidi. Post quam vocem tristis factus, quia ad seculum redire compellebar, sed de reuertendi promissione securus, cùm prædictis ductoribus exinde remeabam. Qui mecum tam euntes, quàm redeuntes, nihil locuti sunt, sed tam pio affectu in me respiciebat, quemadmodum mater vnicum filium contemplatur. Sicque ad corpus redij. In eundo verò ac redeundo, nec labor erat nec mora, quia quò tendebamus statim aderamus. Et licet aliqua visus sim de tanta dulcedine dulcedinum enarrasse; fateor tamen, quia nequaquam stylus tanta exprimere potuit, quanta animus sentit. Sed nec ipse animus sen-

*Martyrium
S. Ansgarij.*

senti, ut fuit: quia illud esse mihi videbatur, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Ex hac itaque visione, quam sicut ipse dictauerat verbis illius enarrauimus, præfatus Seruus Dei & perterritus & consolatus cœpit se sollicitius in diuino exercere timore, bonisque operibus de die in diem ardentius in hære, spemque de Dei misericordia præsumere, quòd quadam ipse disponderet occasione, ut ad palmam Martyrij posset pertingere. Quod tamen quia corporaliter gladio imminente non contigit, qualiter in mortificatione crucis quam iugiter in suo corpore pro Christi nominis honore portauit, Deo miserante completum sit, cum de obitu illius narrare cœperimus, iauis explicabimus.

CAPVT III.

Qualiter in Oratorio Iohannis Bapt. per visionem IESVM CHRISTVM viderit, & ei peccata sua confessus sit.

Post hæc verò cum Magister fuisset Scholæ ad Sanctum Petrum, eundo vel redeundo ad claustrum consuetudinem sibi fecerat, in Oratorio Beati Iohannis Baptista: precibus secretius insistere. Itaque post duos annos superioris visionis quadam nocte visum *Visio S. Ansgarij tertia.* est ei, quod ad idem Oratorium causâ orandi diuertisset. Cumque ab oratione surrexisset, ecce vir per ostium veniebat, staturâ proce-
rus, iu-

rus Iudaïco more vestitus, vultu decorus; ex cuius oculis splendor diuinitatis, velut flamma ignis radiabat. Quem intuitus omnium cunctatione postpositâ CHRISTVM Dominum esse credebat, atque procurrens ad pedes eius corruit. Cumque prostratus in facie iaceret ille vt surgeret imperauit. Cumque surgens coram illo reuerenter astaret, atque præ nimio splendore ex oculis ipsius emicante in faciem eius intendere non valeret, blandâ voce ipsum allocutus est, dicens: Dic, ait, iniquitates tuas, vt iustificeris. Cui Seruus Dei respondit: Domine, quid necesse est tibi dicere, tu omnia nosti, & nihil te latet. Ille autem subsecutus ait: Scio quidem omnia, sed ideò volo vt confiteantur mihi homines peccata sua, vt remissionem accipiant. Cui cum omnia quæ ab infantiâ gesserat indicâset, & illo posthæc in orationem prostrato ipse erectus astaret, dixit: Noli timere, quia Ego sum, qui deleo iniquitates tuas. Post quam vocem ille qui apparuerat recessit. Et vir Dei excitatus somno de fiduciâ remissionis peccatorum suorum confortatus immenso tripudiabat gaudio.

*Confessio
peccatorum.*

CAPVT IV.

Quomodo animam discipuli Fulberti ad cælum deferri, & inter Martyres collocari cognouerit.

Quo etiam tempore contigit, quod Vestra

stræ Reuerentiæ notissimū est, vt quidam puerulus in schola, Fulbertus nomine à socio suo tabulâ percussus ad mortē vsque perductus sit. Proquæ re prædictus Seruus Dei nimium tristis effectus est, quòd sub curâ Magisterij sui tanta negligētia inter subditos sibi acciderit. Verum appropinquante horâ exitus ipsius pueri, vir Domini fortè sopori deditus lectulo incubabat. Cū ecce vidit in somnis ipsius animam à corpore sublatam Angelico ministerio ad cælum deferri, se quoque miro & ineffabili ministerio Deo disponente pariter comitari. Cūque cœli secreta penetrassent, pueri præfati animam in quandam purpuream mansionem conspexit introduci, & inter agmina Martyrum collocari. Ibiq̃ue ei datum est agnouisse, quòd quia ipse puer vulnus sibi illatum satis patienter tulit, & animam fratris vsque ad mortem diligens, pro percussore suo nimium benignè intercessit, patientiam & benignitatem eius diuinâ remunerante pietate, inter Martyrum Choros deputatus sit. Hoc autem tam celerius in hora mortis eius ei demonstratum est, ita vt dum adhuc in his moraretur, venerandus Pater Witmarus, qui cum eo tunc scholam puerorum regebat, & huius rei testis præsens adest, cum pro hoc ipso illum excitâs obitum discipuli nunciaret, ille se hoc quoque antè scire responderit. Quod profectò Domini gratia causâ consolationis ei videre concessit, vt, quia pro hac re

visio S. Ansgarii quanta.

Dilectio inimici.

Pater Witmarus.

nimiùm tristabatur, ex salute pueri mœstiam suam releuaret animi. His itaq; & alijs quã plurimus Reuelationibus atque Visionibus vir Dei cœlitus inspiratus, quantã inter vos postmodum Sanctitatis gratiã ac bonitatis excreuerit, vestrorum qui tunc affuere testimonio meliùs comprobabitur. Nobis autem ea quæ apud nos gesta sunt narrare cupientibus, primò indagandum videtur propter eos qui huius rei forrè minùs conscij sunt, qua occasione à loco stabilitatis suæ huc secesserit, & cum apud nos Deo oblatu sit, ibique obedientiam promiserit, quo instinctu ad has partes emigrauerit, atque ad Episcopatus officium apud nos sublimatus sit. Hoc autem idèò scribere necessarium duximus, ne forrè aliquis leuitari assignet, quòd vir Dei diuinæ compunctionis instinctu, & peregrinationis amorem, pro salute animarum suscepit.

CAPVT V.

Qualiter in Sanctitatis gratiã proficiens ad nouam Corbeiam docendi causã destinatus sit.

Cæptum est itaque olim in his partibus, videlicet Saxonix, Monasterium fieri, quod auctoritate & magisterio Sanctitatis vestræ, & primò fundatum, & succedenti tempore Deo donante feliciter consummatum est, nomenque mutuarum à loco habitationis vestræ accepit, vt vocaretur Noua Corbeia. Ad hunc ergo locum Dei famulus
vnà

vnâ cum alijs fratribus vestris primò directus est, vt inibi officio fungeretur docendi. In qua re ipse per omnia tam probabilis & acceptus inuentus est, vt omnium electione publicè quoque in Ecclesia Verbum Dei populis prædicaret. Sicque factum est, vt eiudem loci ipse primus, & Magister Scholæ, & Doctor fieret populi.

CAPVT VI.

De conuersatione Herioldi Regis, & qualiter ipse S. Ansgarius & Audbertus ad partes Danorum directi sint.

Post hæc verò contigit, vt Herioldus quidam Rex, qui partem tenebat Danorum, ab alijs ipsius Prouinciæ Regibus, odio & inimicitia conuentus, Regno suo expulsus sit. Qui Serenissimum adiit Imperatorem LHudovicum, postulans vt eius auxilio vt mereretur, quò Regnum suum denuo euindicare valeret. Qui eum secum detentum, tam per se, quàm per alios ad suscipiendam Christianitatem cohortatus, quòd scilicet inter eos ita maior familiaritas esse posset, populusque Christianus ipsi ac suis promtiori voluntate in adiutorium sic veniret, si vterque vnum Dominum coleret. Tandem gratia diuina tribuente ad fidem conuertit, & sacro Baptismate perfusum ipse de sacro Fonte suscepit, sibi que in Filium adoprauit. Quem cum iterum ad sua remittere vellet, vt eius auxilio

*Herioldus
Rex Danorum.*

munitus Regni sui fines repereret; cœpit diligentius quærere, si quem inueniret sanctæ deuotionis virum, qui cum eo ire posset, ei que continuò adhæreret, fieret que illi & suis ad corroborandam suscipiendam que fidem Domini Magister doctrinæ salutaris. De hoc itaq; prædictus Augustus in publico conuëtu Optimatû suorum cum Sacerdotibus cæterisque fidelibus suis tractare cœpit, & vt sibi aliquè ad tale opus & voluntarium & condignû inuenirët, sollicitius omnes rogare. Quod cum vniuersi abnuerent, nullatenus se quemquam scire dicentes tantæ deuotionis virum, qui peregrinationem tam periculofam pro Christi nomine suscipere vellet. Exiit tunc temporis Venerabilis Abbas Monasterij vestri VValo, qui memorato Imperatori dixit: vnum se scire Monachum in Monasterio suo, qui multo ardore circa diuinam Religionem ferueret, ac pro Dei nomine multa pati desideraret. Cuius quoque pariter institutionem ac mores laudauit, & quòd ad hoc opus esset satis idoneus indicauit. Sed tamen se nescire restatus est, vtrum ad hanc peregrinationem tolerandam voluntarius esset. Quid plura? iubente Rege euocatur ad Palatium: cui Abbas cuncta quæ acta & dicta sunt retulit, & ad quid vocaretur aperuit. Qui se ad Dei seruitium in omnibus, quæ ei causa obedientiæ iniungerentur, paratum esse respondit. Deductus itaque ad præsentiam Augusti, cum ab ipso

*VValo Ab-
bas Corbe-
sensis.*

*S. Ansgarij
prima vo-
catio in Se-
patriam.*

ipso

ipso interrogaretur, vtrum pro Dei nomine ad prædicandum in Gentibus Danorum comes fieri vellet Herioldi? omninò se velle constanter respondit. Cui etiam cum Abbas intulisset, nullatenus se tantum onus iubendo illi imponere; si ipse tamen hoc sua sponte eligeret, sibi gratum esse, & suæ auctoritatis ei licentiam dare. Quod ille nihilominus se eligere, & modis omnibus perficere velle respondit. Denique cum hæc publicè protestarentur, essetque cognitum omnibus qui in domo conuersabantur Abbatis, cœperunt multi tantam eius ammirari immutationem; quòd scilicet relictâ patriâ & propinquis suis, Fratrum quoque cum quibus educatus fuerat dulcissima affectione, alienas vellet expectere nationes, & cum ignotis ac barbaris conuersari. Multi quoque super eum hoc detestari, & improperijs laceßere; quidam à proposito reuocare conabantur: sed vir Dei in cœpta voluntate immobilis permanebat. Denique cum Abbas per singulos dies ad Palatium iret, ipse domi residens consortia omnium fugiebat, & in quadam vinea iuxtà posita solitarium sibi locum eligens Orationi & Lectioni vacabat. Erat autem tunc ibi etiâ cum Domino Abbate quidam Frater Monasterij vestri, nomine Audbertus, qui cum eum nimis sollicitum ac tristem & coridiè secretum ibi consistere, & nullius consortio vel colloquio vti videret, cœpit ei compati.

Et

*Audbertus
Monachus*

Et quadam die pergens ad locum, vbi in supradicta vinea solus sedebat, cœpit ab eo inquirere, vtrum veraciter peregrinationem illam vellet suscipere? Qui sperans eum hoc nõ ob compassionem, sed propter astutiam magis inquirere, respondit: Quid vobis curæ est super hoc? nolite mentem meam tali inquisitione conturbare. Ille verò nihil omninò se deceptionis in hac re prætere testabatur; sed magis veraciter scire velle, vtrum ille in proposita voluntate disponderet perseverare? Tunc ipse congratulans eius benivolentia respondit: Ego interrogatus sum, si pro Dei nomine vellem in Gentes ire paganas, ad prædicandum Euangelium Christi? Cui propositioni ego nequaquam reniti ausus sum, immò totis viribus exopto, vt mihi ad hoc copia detur eundi, nullusque ab hac intentione mentem meam poterit immutare. Tunc præfatus Frater ei respondit: Et ego te nunquam patiar solum ire, sed pro Dei amore tecum proficisci cupio, tantum vt Domni Abbatis mihi licentiam impetres. Firmatâ itaque inter eos tam religiosa conventionem, redeunti Abbati ipse obuius astitit, & quòd sibi socium inuentum haberet, qui huius professionis comes esse voluntarius vellet, indicauit. Cuius personam cum Abbas inquireret, & ille Fratrem Audbertum nominaret, multo miraculo obstupuit, nequaquam putans eum, qui & nobilis prosapia in seculo,

& apud

& apud eum tunc familiaris, ac post ipsam domus eius procurator habebatur, talia velle. Aduocatum tamen eum super hoc interrogauit. Qui respondit, nequaquam posse pati, vt ille solus iret; sed pro Christi nomine se velle ei solatio & adiutorio fieri, si suam & fratrum haberet licentiam. Cui Dominus Abbas, se daturum licentiam, si ille spontaneè hanc profectioem eligeret, respondit: nullum tamen eis ex familia comitem ad obsequium seruitij depuraturum, nisi fortè ipsi aliquem ad hoc prouocare possent, vt suã sponte cum eis ire vellet. Hoc autem venerabilis Abbas non de inaffectione faciebat, sed quia abominabile eo tempore & iniustum videbatur, vt quis inuitus inter paganos conuersari cogeretur.

CAPVT VII.

Qualiter prefati Serui Dei apud Danos quoslibet ad viam veritatis monebant, & quod Scholas ibi stauerint, ac paracto biennio Audbertus ad nouam Corbeiam deductus & defunctus sit.

Posthæc itaque ambo deducuntur ad Regem, quorum voluntati & desiderio ipse condelectatus, dedit eis ministeria Ecclesiastica, scrinia, atque tentoria, cæteraque subsidia, quæ tanto itinere videbantur necessaria, & cum prefato Herioldo ire præcepit: denunciãns vt eius fidei maximam impenderent

derent sollicitudinem, eumque & suos, qui simul baptizati fuerant. pia exhortatione, ne ad pristinos reducerentur diabolo instigante errores, continuè roborarent; simulque etiam alios ad suscipiendam Christianam religionem, verbo prædicationis strenuè commoverent. Dimissi itaque ab Imperatore, nullum habuerunt socium, qui eis aliquid seruitij impenderet, quoniam nemo ex familia Abbatis cum eis sua sponte ire, nec ille quemquam adhuc inuitum volebat cogere. Herioldus quoque cui commissi fuerant adhuc rudis & neophytus, ignorabat qualiter Serui Dei tractari debuissent: Sui quoque tunc nuper conuersi, & longè aliter educati, non multà super eos curà intendebant. Cum graui itaque difficultate hanc suscipientes peregrinationem peruenerunt Coloniam. Ibi tunc temporis Venerandus Antistes Hadeboldus compatiens eorum necessitati, dedit eis nauem optimam, vbi sua reponerent, in qua erant duæ mansiunculæ, satis opportuna, præparata. Hanc itaque prædictus Herioldus conspiciens elegit ipse in eadem naui cum illis manere, vè ipse vnâ, & illi alterâ potirentur mansiunculâ: sicque inter eos familiaritas cœpit & beniuolentia crescere: Sui quoque exhinc seruitium eis diligentius impendebant. Inde egressi per Dorstratum, & vicinia Fresonum transerunt, ad confinia peruenerunt Danorum. Et quia interdum pacificè in Regno suo Herioldus

*Hadeboldus
Antistes
Colonie.*

dus Rex consistere non poterat, dedit ei me-
 moratus Augustus ultra Albiam beneficium;
 ut si quando ei necessarium esset, ibi subsistere
 posset. Præfati itaque Serui Dei cum eo po-
 siti, & aliquando inter paganos constituti,
 cœperunt Verbo Dei insistere & quoscunque
 poterant ad viam veritatis monere. Multi
 autem exemplo & doctrinâ eorum ad fidem
 conuertebantur, & crescebant cotidie qui
 salui fierent in Domino. Ipsi quoque diuino
 inspirati amore ad promulgandâ deuotionis
 suæ religionem, cœperunt pueros quærere,
 quos emerent, & ad Dei seruitium educarent.
 Præfatus itaque Herioldus ex suis aliquos
 sub eorum cura erudiendos posuit; sicque
 factum est, ut scholam ibi puerorum paruo
 tempore statuerent, 12. aut eo ampliùs puero-
 rum. Alios quoque hinc inde sibi ascuerunt
 seruitores & adiutores; cœpitque eorum fa-
 ma & religio in Dei nomine fructuosius cre-
 scere. Cùm itaque in hoc sancto proposito,
 biennio aut eo ampliùs morarentur, contigit
 iam dictum Fratrem Audbertum infirmitatis
 grauari molestiâ. Qua de causa inde ad no-
 uam Corbeiam deductus, languore diutino
 ingrauescente, felici ut credimus transitu,
 in tempore Paschæ, sicut & ipsi antea à
 Domino reuelatum fuerat, di-
 em inibi clausit extre-
 mum.

*Emuntur
 pueri edu-
 candi.*

Schola.

CAP.

CAPVT VIII.

De Legatione Sueonum ad Imperatorem Ludouicum pro predicatoribus, & de visione Patris Ansgarij, vt annuntiaret.

INterim verò contigit Legatos Sueonum ad memoratum principem venisse LHudovicum: qui inter alia Legationis suæ mandata Clementissimo Casari innotuerunt; esse multos in Gente sua qui Christianæ religionis cultum suscipere desiderarent, Regis quoque sui animum ad hoc satis beniuolum, vt ibi Sacerdotes Dei esse permitteret, tantum eius munificentiam mererentur, vt predicatoribus eis destinaret idoneos. Quod religiosissimus audiens Imperator, plurimum exhilaratus, denuo querere cœpit, quos in illas partes dirigeret, qui probarent vtrum populus ille ad credendum paratus esset, sicut Missi illi tradere inciperent. Vnde factum est, vt iterum cum memorato Abbate vestro Serenissimus Imperator tractare cœperit, si quem fortè de suis Monachis inuenire posset, qui pro Christi nomine in illas partes ire vellet; aut certè qui cum Herioldo moraretur, Seruus Dei Ansgarius illam susciperet Legationem. Qua de re contigit, vt regio iussu ab hinc ad Palatium vocaretur: cuique denunciatum est, ne se raderet, antequam ad præsentiam Imperatoris veniret. Vir autem Dei ad quid vocaretur omninò prænoscens, cœpit toto

*S. Ansgarius
qui agrum
Aubertii
ex Dania
duxerat, iam
in Suediam
mittitur.*

toto cordis feruore in Dei amore exardescere,
 & omne gaudium existimare, si lucrandis sibi
 animabus liceret insistere. Si quid quoque
 in huiusmodi profectioe contrarietatis siue
 aduersitatis accidere ei posset, proposuit a-
 nimo patienter pro Christo tolerare. Nihil-
 que dubietatis in corde pro tali gerebat opere:
 quoniam visionis diuinæ, quam antè præui-
 derat consolabatur munere: siquidem supra-
 dicto tempore, cum apud vos maneret, etiam
 duabus visionibus cœlitus inspiratus habe-
 retur. Quadam nocte visum est ei, quod ve-
 nisset in quandam domum, vbi plures ex or-
 dine Prædicatorum, ad prædicandi officium
 præparati astabant: Coram quibus subito in
 excessu mentis raptus, videbat inmensi lumi-
 nis claritatem super solis radium de cœlo e-
 missam se circumfulsisse; Cumque mira-
 retur quid hoc esset, vox quoque penè similis
 illi, quam in prima visione se audisse narra-
 uerat, facta est ad eum, dicens: Dimissum est
 peccatum tuum. Cui ille diuino, vt credimus,
 afflatus Spiritu, respondit, dicens: Domine,
 quid vis vt faciam? Et iterum vox sonuit, di-
 cens: Vade, & annuncia Gentibus Verbum
 Dei. Hanc itaque visionem Seruus Dei per-
 tractans animo, lætus gaudebat in Domino,
 videns iam ex parte impletum quod sibi impe-
 ratum fuerat, & ad maiorem laboris sui
 cumulum etiam Sueonibus Verbum
 Dei nunciare cupiens.

*Visio S. A.
 garij quin-
 ta.*

*Prima. s. s.
 priore ali-
 qua: est e-
 nim tertia.
 cap. 3.*

E

CAP.

CAPVT IX.

De Legatione ipsius & Vitmari ad Sueones, &
 quanta aduersa in itinere passi sint.

CVM itaque ante presentiam Cæsaris
 adductus, interrogatus fuisset ab eo;
 vtrum Legationem illam suscipere vellet? li-
 bera voce respondit: se paratum ad omnia,
 quæcunque sibi pro Christi nomine sua au-
 thoritate decreuisset iniungere. Tunc Dei or-
 dinante prouidentia socium illi ex vestra Fra-
 ternitate venerabilis Abbas inuenit, nomine
 Witmarum, tanto operi satis & condignum
 & voluntarium. Porro cum Herioldo esse
 disposuit Patrem deuotissimum Gislemarum,
 fide & operibus bonis probatum atque in
 zelo Dei feruentissimum. Suscepit itaque Le-
 gationem sibi à Cæsare iniunctam, vt in partes
 iret Sueonum, & probaret vtrum populus ille
 ad credendum paratus esset; sicuti Missi su-
 pradicti innotuerant. In qua Legatione quan-
 ta graua mala perpeffus sit, melius ipse qui
 interfuit Pater Witmarus intimare poterit.
 Nobis hoc tantum narrare sufficiat, quod dū
 in medio ferè essent itinere, in piratas offen-
 derunt: & cum negotiatores qui cum eis i-
 bant se viriliter defenderint, & primò quidem
 victoriam cæperint, in secundò tamen ab eis-
 dem piratis deuicti, ita vt naues & omnia quæ
 habebant eis tulerint, & ipsi vix pedibus ad
 terram fugientes euaserint. Ibi itaque & mu-
 nera

*Frater Gis-
 lemarius.*

nera Regia, quæ illuc deferre debuerant, & omnia quæ habuerant perdiderunt, excepto paruo quod fortè proficientes è nauì secum auferre & asportare poterant. Inter quæ etiã penè 40. libros, quos ad seruitium Dei sibi aggregauerant, illis diripientibus amiserunt.

CAPVT X.

Qualiter ad Bircam venientes à Rege Sueonum Berni suscepti sint, & Herigarius præfatus fidei credulitatem susceperit.

HOc itaque factò, cùm quidam reuertis quidam in antea ire disponerent, Seruus Dei accepto itinere, nulla ratione flecti potuit, quin potius in Dei ponens arbitrio quod illi contingeret, nequaquam redire disposuit, antequam nutu Dei dinosceret, vtrũ in illis partibus licentia prædicandi fieri posset. Cum graui itaque difficultate pedibus posthæc per longissimam viam incedentes, & vbi congruebat interiacentia maria nauigio transeuntes, tandem ad portum Regni ipsorũ, qui dicitur Birca, peruenerunt: vbi benignè à Rege eorum, qui Bern vocabatur, suscepti sunt, Missis eius referentibus quã de causã aduenerint. Cognita itaque Legatione eorum, & cum suis de huiusmodi negotio pertractans fidelibus, omnium pari voto atque consensu dedit eis licentiam ibi manendi & Euangelium Christi prædicandi; concessã libertatẽ, vt quicunque vellent eorum doctrinam expe-

*Berni Rex
Sue dicitur*

E 2

terent

terent. Itaque Serui Dei videntes sibi ea quæ optauerant prosperè successisse. populis ibi cōstitutis verbum salutis annunciare cœperunt. Plures quoque erant, qui eorum Legationi fauebant, & doctrinam Domini libenter audiebant. Multi etiam apud eos captiui habebantur Christiani, qui gaudebant iam tandem se diuinis ministerijs posse participari. Probaturumque est ita omnia veraciter constare, sicuti Missi eorum Serenissimo Cæsari innotuerunt: & nonnulli gratiam Baptismi deuotè expectabant. Inter quos etiam Præfæctus vici ipsius & consiliarius Regis admodum illi amabilis, Herigarius nomine, sacri Baptismatis donum suscepit, atque in fide Catholica firmissimus extitit. Ipse namque non multò post in hæreditate sua Ecclesiam fabricauit, & in Dei seruitio semetipsum religiosissimè exercuit. Cuius viri diuersa extant præclara insignia, & eius inuictæ fidei multa probantur indicia; quæ in sequentibus euidentius exponemus.

*Herigarius
in Suedia
credidit &
baptizatur.*

CAPVT XI.

Qualiter ad Imperatorem reuersi sint, & ipse cum consensu Episcoporum ultra Albiam Episcopalem Sedem constituerit, ad quam S. Ansgarium consecrari fecit; & quòd ad eandem Sedem Cellam Thurholt vocatam subiugauerit.

Peracto itaque apud eos altero dimidio anno,

anno, præfati Serui Dei cum certo sua Legationis experimento, & cum literis Regiâ manu more ipsorum deformatis, ad Serenissimû reuersi sunt Augustum. Qui honorificè & cum maxima pietatis beniuolentia suscepit, narrauerunt quanta Dominus secum egerit, & quod ostium fidei in illis partibus ad uocationem Gentium patefactum fuerit. Hoc itaque deuotissimus audiens Imperator, immenso lætificabatur gaudio, pariterque recolens, quæ iam olim apud Danos circa Dei cultum concepta fuerant, & laudes ac gratias Dei omnipotenti referens, ardore fidei succensus, quærere cœpit, quomodo in partibus Aquilonis, in fine uidelicet Imperij sui Sedem constituere posset Episcopalem, vnde congruum esset Episcopo ibi consistenti, causâ prædicationis illas frequentius adire partes, & vnde etiam omnes illæ barbaræ nationes facilius vberiusque capere valerent diuini mysterij Sacramenta. Cùm itaque pro huiusmodi sollicitudine curâ vigilanti instaret, quibusdam fidelibus suis referentibus ei innotuit, quòd quando gloriosæ memoriæ pater suus Karolus Augustus omnem Saxoniam ferro perdomitam & iugo Christi subditam per Episcopatus diuisit, vltimam partem ipsius Prouinciæ quæ erat in Aquilone ultra Albiâ, nemini Episcoporum tuendam commisit, sed ad hoc reseruare decreuit, vt ibi Archi-Episcopalem constitueret Sedem, ex qua Domini

Amalharius.

Heridag primus praedicator trās Albim.

Hamburgi Sedes Archiepiscopalis.

gratia tribuente etiam successio fidei Christianæ in exteris proficeret nationes. Qua de re primitiuam & ibi Ecclesiam, per quendam Episcopum Galliae, Amalharium nomine, consecrari fecit. Postea ipsam parochiam cuidam Presbytero, Heridag nomine, specialiter gubernandam commisit, nec omninò voluit, ut vicini Episcopi aliquid potestatis super eum locum haberent. Quem etiam Presbyterum consecrari disposuerat Episcopum, sed velocior eius de hac luce transitus, hoc ne fieret, impediuit. Post obitum itaque tantæ memoriæ Augusti, filio eius suprascripto videlicet Imperatore HLudouico, in sede Regni eius collocato, suggerentibus quibusdam partem illam Prouinciæ, quæ ultra Albiam erat, in duo diuisit, & duobus vicinis Episcopis interim commendauit. Non enim satis attendit patris sui super hoc constitutionem, aut certè omnimodis ignorauit. Istâ verò facta occasione, qua iam fides Christi in partibus Danorum atque Sueonum per gratiam Dei fructificare cœperat, cognito patris sui voto, ne quid eius studij imperfectum remaneret, vnâ cum consensu Episcoporum ac plurimo Synodi Conuentu, in præfatâ ultimâ Saxonie regione, trans Albiam in ciuitate Hammaburg Sedem constituit Archiepiscopalem cui subiaceret vniuersa Nordalbingorum Ecclesia, & ad quam pertineret omnium regionum Aquilonalium potestas, ad consti-

constituendos Episcopos, siue Presbyteros,
in illas partes pro Christi nomine destinados.

Ad hanc ergo Sedem Dominum & Patrem *Consecratio*
nostrum Sanctissimum Ansgarium prædictus *S. Ansgarij*
Imperator solemniter consecrari fecit Archi-*in Archi-E-*
Episcopum per manus Drogonis Metensis *piscopum.*

Præfulis, & summæ sanctæque Palatinæ di- *præceptum*
gnitatis tunc Archi-Capellarij, astantibus *Imperato-*
Archi-Episcopis Ebone Rhemensi, Hetti Tre- *rium exat*
uerensi, & Otgario Mogotiacensi, vnâ cum *infra in Ap-*
plurimis alijs in conuentu Imperij Præfulibus *pendice.*

congregatis, assistentibus quoque & consen-
tientibus ac pariter consecrantibus Helin-
gaudo & Willerico Episcopis, à quibus
iam prædictas illius Parochiæ partes com-
mendatas receperat. Et quia Diæcesis illa
periculosus fuerat locis constituta, ne pro-
pter barbarorum imminentem sæuitiam ali-
quo modo deperiret, & quia omnimodis
parua erat, quandam Cellam in Gallia Thur- *Cella, est*
holt vocatam, ad eandem Sedem perpetuò *Monasteri-*
seruituram, eius Legationi tradidit. *rium.*

CAPVT XII.

Qualiter Roman directus auctoritate Papa Gregorij
IV. Pallium suscepit, & Legationem ad partes om-
nium Septentrionalium & Orientalium
Nationum.

FT vt hæc omnia perpetuum suæ stabili-
tatis retinerent vigorem, eum honora-
biliter ad Sedem direxit Apostolicam, & per

*Confirma-
tio S. Ans-
garij per
Gregorium
Papam IV.
cuius De-
cretum in-
fra in Appē-
dice habe-
tur*

Missos suos Venerabiles, Bernoldum & Ra-
toldum Episcopos, ac Geroldum Illustris-
simum Comitem, omnem hanc rationem
Sanctissimo Papæ Gregorio Quarto intimare
fecit confirmanda. Quod etiam ipse tam
Decreti sui auctoritate, quàm etiam Pallij do-
natione, more prædecessorum suorum robo-
rauit, atque ipsum in præsentia constitutum
Legatum in omnibus circumquaque Genti-
bus, Sueonum, Danorum, Fariæ, Gron-
london, Islondon, Scridenindun, Slauorum,
nec non omnium Septentrionalium atque
Orientalium Nationum, quocunque modo
nominatarum delegauit. Et posito capite &
pectore eius super corpus & confessionem
Sancti Petri Apostoli, sibi suisque successo-
ribus vicem suam perpetuò retinendam, pu-
blicamque Euangelizandi tribuit auctori-
tatem. Et ne horum quicquam in futurum
irritum fieret, omnem resistentem ac contra-
dicentem, vel quolibet modo his sanctis stu-
dijs Domini Apostolici, atque pijsissimi Im-
peratoris insidiantem, Anathematis mucrone
percussit, atque perpetuâ ultione reum, dia-
bolica sorte damnauit. Siquidem ipse diuino,
vt credimus, afflatus spiritu, prouocatione
Gentium, & maximè Danorum, quos in Pa-
latio sapiens viderat, & diabolico deceptos
errore dolebat, feruentissimo ardebat desi-
derio, & pro Christi nomine se suaque omnia
ad salutem Gentium tradere cupiebat. Cui
etiam

etiam Dominus Imperator locum vnum vltra Albiam, qui vocatur Welanao dederat, ut quotiens illas in partes pergeret, locum subsistendi ibi haberet. Multotiens itaque ipse se ad eundem venit locum, & pro lucrands animabus multa in Aquilonis partibus dispensavit, ac plurimos religioni Christianorum adiunxit, atque in fide Catholica roboravit. Verum post Ordinationem Domini & Patris nostri Sanctissimi Ansgarij, superius comprehensam, visum est illi in eadem Legatione necessarium esse, ut aliquis illi ordinaretur Adiutor, qui in partibus Sueonum ministerij Episcopalis officio fungeretur, quoniam in regione tam longè positâ præsens adesse deberet Pontifex, & ipse solus ad vtrunque locum minùs sufficeret. Itaque Apostolica auctoritate & suggestione imprimis quendam, Gauthbertum nomine, ad hoc opus electum & Pontificali insignitum honore, ad partes direxit Sueonum. Cui ad ministeria Ecclesiastica explenda, necessarios sumtus, tam ex sua, quam Regia datione abundè tribuit, eumque vice sua Legatum Hammaburgensis Ecclesiæ in Gentibus Sueonum esse constituit. Cui etiam postea Clementissimus Augustus cellam quam ipse in loco memorato, Welanao construxerat, quasi locum refugij tradidit, ut scilicet ad ipsius ministerium officij perpetuâ stabilitate deserviret.

*Welanao
locus trans-
albius.*

*Gauthbertus
Adiutor
S. Ansgarij
in Suecia.*

*Cella in
Welanao.*

Es

CAP.

*Qualiter Gauthbertus, qui & Symon, ad Sueoniam
perueniens, honorificè & à Rege & à popu-
lo susceptus sit.*

PRædictus itaque Gauthbertus, quem
ipse consecrans honore Apostolici no-
minis Symonem vocauit, ad partes veniens
Sueonum, honorificè & à Rege Bern vocato,
& à populo susceptus est, cœpitque cum be-
niuolentia & vnanimitate omnium Ecclesiã
inibi fabricare, & publicè Euangelium fidei
prædicare. Fiebatque gaudium salutis Chri-
stianis; ibidem de Gentibus, & de die in diem
numerus credentium augebatur.

CAPVT XIV.

*Qualiter S. Ansgarius Archi-Episcopus suum strenuè
implèrit officium, & ex paganis pueros ad Seruitium
Dei redemerit: & Hammaburg à piratis depra-
data & combusta sit.*

INterim quoque Dominus & Pastor noster
in diocesi sibi commissa, & in partibus
Danorum, strenuè suum implebat officium
& exemplo bonæ conuersationis multos ad
fidei gratiam prouocabat. Cœpit quoque ex
genere Danorum atque Slauorum nonnullos
emere pueros, aliquos etiam ex captiuitate
redimere, quos ad Seruitium Dei educaret.
Quorum quosdam hic secum retinuit, quos-
dam verò ad Cellam prædictam Thurholt
nutrien-

nutriendos posuit: fueruntque cum eo hic ex societate vestra Sancti Patres nostri Magistri, quorum doctrinâ & institutione feliciter nobiscum religionis diuinæ creuit opinio. Verùm cum hæc in vtraque parte laudabiliter & Deo dignè agerentur, contigit ex improviso piratas aduenientes Hammaburgensem ciuitatem nauigio circumuenisse. Quod cum inopinatè & subitanè accidisset, spatium non fuit pagenses congregandi, quippe cum & Comes, qui eo tempore præfecturam loci illius habebat, Illustris vir Bernharius, tunc deesset. Dominus verò Episcopus ibi positus, cum his qui aderant in vrbe ipsa, vel in suburbio manentibus, primo quidem audito aduentu eorum locum ipsum continere voluit, donec maius eis veniret auxilium; sed impellentibus paganis & ciuitate iam obfessa cum eis resisti non posse conspexit, quomodo pignora sacrarum Reliquiarum asportarentur præparauit, sicque ipse, Clericis suis huc illucque fugâ dispersis, etiam sine cappa sua vix euasit. Populi quoque à loco ipso exeuntes ex hac illacque palantes, plurimis an fugientibus, quidam capti, plerique etiam perempti sunt. Denique hostes arreptâ ciuitate & omnibus quæ in ea, vel in vico proximo, spoliatis, cum vespertino tempore eò aduenissent, noctem ipsam cum sequenti die & nocte ibi confederunt. Sicque succensis omnibus ac direptis egressi sunt. Ibi Ecclesia

*Bernharius
Comes.*

*Ciuitatis
Hamburgensis dire-
ptio.*

mirò

miro opere, magisterio Domini Episcopi con-
 structa, vnà cum claustro Monasterij mirificè
 composito, igni succensa est. Ibi omnia quæ
 aut in Ecclesiasticis ministerijs, aut in alijs the-
 sauris & facultatibus habuerat, aut de præda-
 tione, aut igne, hostili impetu direpta sunt, vt
 quasi nudum eum dimitterent. quippe cum
 penè nihil exinde prius elatum sit, nec tunc
 quidem aliquid subuectum, nisi quod quisque
 casu arreptum aliquid secum exportare po-
 ruit, Dominus & Pater noster Sanctissimus
 nullatenus vel animo molestabatur, vel labijs
 peccauit; sed cum omnia ferè quæ ab initio
 Episcopatus sui congregauit, velut in momen-
 to perdiderit, illud Beati Iob sapius verbis
 replicabat: Dominus dedit, Dominus abstulit,
 sicut Domino placuit, ita factum est; sic no-
 men Domini benedictum.

CAPVT XV.

*Quomodo Sueones Symonem Episcopum à finibus suis
 expulerint, & vltio diuina illius expulsionem
 subsequuta sit.*

HIs itaque ita peractis, cum Dominus E-
 piscopus cum suis in multis esset præ-
 furis & calamitatibus, & Fratres congrega-
 tionis eius vnà cum sanctis pignoribus per
 varia loca circumeūdo huc illucq; vagarentur,
 & nulquam sedem haberent, contigit etiam
 diabolico instinctu, vt populus Sueonum fu-
 rore zeli accensus, præfatum Symonem Epi-
 scopum

copum insidiosè persequi cœperit; factum-
 que est vt ad domum in qua manebat, vnani-
 mâ conuentione pars quædam populi causâ
 direptionis irruerit & nepotem quidem ip-
 sius, Nithardum nomine, gladio peremerit,
 & odio Christiani nominis percussum, Dei
 vt credimus Martyrem fecerit. Ipsum verò
 cum cæteris qui simul aderant ligauerunt, &
 diripientes omnia quæ apud eos inuenire po-
 tuerunt, contumeliâ & opprobrijs affectos à
 finibus suis expulerunt. Quod tamen non
 Regio iussu factum; sed populari tantùm cõ-
 spiratione est factum. Diuinæ verò Maiestatis
 clementia hoc nequaquam inultum abire
 passâ est; sed omnes penè qui affuêre, quam-
 libet diuerso modo in paruo tempore puniti
 sunt. De quibus multa dici poterant; sed ne
 fastidium legentibus inferamus, vnus tantùm
 mentionem curauimus facere, vt qua pœna
 cæteri euindicati fuerint ex huius perditione
 patefiat. Quidam namque in terra illa potens
 extitit, cuius filius in eadem conspiratione cû
 alijs fuerat, & quæ sibi de spolijs inibi captis
 prouenerant, in domum patris sui contulit.
 Post quod factum cœpit illius substantia mi-
 nuï, & pecora ac familia deperire. Ipse quo-
 que filius diuinâ vltione percussus interijt. Sed
 & vxor eius cum filio, non multo interiacente
 spatio, obiit. Cû itaque se, excepto vno filio
 paruulo, omnibus bonis suis defraudatum
 videret, cœpit miser Deorum iras expauescere,
 & quòd

*Nithardus
 Martyr.*

*Pœna perse-
 cutorum in
 Suedia.*

& quòd hæc omnia alicuius Dei offensionè
 pateretur mente tractare. Qua de re, sicut ibi
 moris est, quendam adiit diuinum, rogans,
 vt cuius Dei offensam haberet, & qualiter eū
 placare deberet, ipsi indicaret. Agens itaque
 ille quæ circa cultum huiusmodi obseruare
 solebat, omnes Deos illorum ipsi placatos esse
 respondit: Deum verò Christianorum illi
 omnimodis infensum. Christus, inquit, sic te
 habet perditum, & quia quodlibet eorum
 quod illi consecratum fuerat, in domo tua
 manet conditum, ideò venerunt super te om-
 nia mala hæc quæ passus es. Nec poteris ab his
 liberari, donec illud in domo tua manserit.
 Hoc ille audito, mente pertractans sollicità,
 quid illud esse posset, de filio suo recordatus
 est, quòd ex spolijs supradictis quendam librū
 in domum suam aduexerit. Qua de re horrore
 nimio perculsus, & quia Sacerdotis tunc inibi
 decrat præsentia, quid de eodem libro faceret
 omnimodis nescius, secum illum longiùs re-
 tinere nullatenus ausus est. Tandem vix re-
 perto consilio, in conspectu eum populi qui
 in eadem villa manebat attulit, & quæ passus
 sit retulit. Cum quæ te omnes ignaros consilij
 super hac re dicerent, & tale aliquid in domo
 sua recipere vel habere pertimescerent, ipse
 eum diutius apud se retinere obstupescens,
 honestè compositum ad quandam ligauit sæ-
 pem, denuncians vt quicumque vellet, eum
 inde sumeret, & pro reatu commisso Domi-
 no Iesu

*Liber sacer
 in persecu-
 tionis domo.*

ne Iesu Christo voluntariam satisfactionem
vovit. Quem librum quidam Christianorum
exinde sublatum in sua aduexit: Ex cuius ore
etiam ista cognouimus. Qui postea magnæ
fidei & deuotionis extitit, ita vt Psalmos apud
nos postea memoriter sine literis didicerit.
Taliter ergo & cæteri siue morte, siue peste,
& damno rerum suarum puniti sunt: & liqui-
dò omnibus patuit, quia Sanctum Dei Ponti-
ficem & suos inhonestè tractare & spoliare
præsumserant, grauissimam Domini nostri
Iesu Christi senserint ultionem

CAPVT XVI.

*De profectiōe Anachoreta Ardgarij ad Sueoniam, &
de fide Herigarj*

Post hæc itaque locus ille septem ferè an-
nis sine Sacerdotali fuit præsentia. Pro
qua re Dominus & Pastor noster Ansgarius
nimio mœrore anxius, Christianæ religionis
fidem ibi cœptam perire non sufferens, & ma-
ximè pro Filio suo, què supra memorauimus,
Herigario condolens, quendam Anachoretã
Ardgarium nomine, illas in partes direxit, &
vt specialius Ecclesiæ adhæreret præcepit.
Ipsa itaque illò adueniens, officiosè susceptus
est ab ipso Herigario, & Christianis qui ibi
aderant magnum suæ præsentia exhibuit gau-
dium. Cœperuntque sicuti primò egerant, ea
quæ Dei sunt deuotè quærere, & ritum Chri-
stianitatis lubenti animo custodire. Fidelissi-
mus vis

*Ardgarinus
Anachore-
ta.*

*Signa qua-
dam cœle-
sti pro He-
rigario fa-
cta.*

*Miraculum
primum.*

mus vir Herigarius tempore quo sacerdotalis
ibi deerat præsentia, multa ab infidelibus susti-
nuit opprobria, sed largiente diuinâ gratiâ,
signis cœlestibus eius petitione veræ fidei de-
clarata sunt præconia. Ex quibus, vt promi-
simus, aliqua hic interserere curauimus, quod
eius fidei inuictus declaratur animus. Quadã
namque vice ipse in quodam sedebat Placito,
scænâ in campo ad colloquium paratâ Vbi cū
inter alias locutiones illi Deos suos laudassent,
quorū fauore prospera sibi multa prouenirent,
& illi quod solus à consortio omnium inani
fide aberraret impropere; ipse vt erat fer-
uens spiritu respondisse illis dicitur: Si tanta
est de diuinâ Maiestate dubietas, quod ta-
men dubium esse nullo modo deberet, pro-
bemus miraculis, quis sit maioris potentiz,
vestri multi, quos dicitis, Dij, an meus solus
omnipotens Dominus Iesus Christus. Ecce
tempus adest pluuiæ; siquidem tunc pluuiam
imminebat; Inuocate vos nomina Deorum
vestrorum, ne pluuiam super vos descendat,
& ego inuocabo Dominum meum Iesum
Christum, ne aliqua stilla pluuiæ me cōtingat:
& si quis in hac parte se inuocâtes exaudierit,
ipse sit Deus. Hac itaque factâ inter se conuen-
tione, cū illi omnes in vna parte sederent,
ipse verò cum vno puero in alterâ, cœpit v-
nusquisque eorum inuocare Deum suum, ille
quoque inuocabat Dominum Iesum Chri-
stum, Et descendens inmensa de cœlo pluuiam
ita

ita omnes illos aquâ infudit, vt quasi in flu-
 mine cum vestimentis iactati viderentur, etiã
 folia ramorum de umbraculo ibi factò, super
 ipsos decidentia, virtute diuinâ illos oppres-
 sos ostenderent: super ipsum verò & puerum,
 qui cum eo erat, nec vna descendit pluuie
 gutta. Quo factò, confusis illis & ammirati-
 ribus, Ecce, inquit, videtis, quis sit Deus! No-
 lite me infelices ab eius cultura reuocare, quin
 potiùs ab erroribus vestris confundamini, &
 veritatis viam discite. Alio quoque tempore *Miraculũ*
 contigit, vt dolorem in tibia sua sustineret ni- *secundum*
 mium, ita vt non aliquo modo se mouere lo-
 co, in quo erat, posset, nisi portaretur. Cùm
 hanc ergo diutiùs sustineret molestiam, cœpe-
 runt multi ad eum causâ visitandi venire, &
 quidam adhortationibus, quò pro salute sua
 Dijs sacrificaret, commonere, quidam impro-
 perijs, quòd sine Deo esset, laceßere, & idcirco
 eum salute carere. Cùm itaque hæc læpius
 agerentur, & ipse constanter malis eorum
 suggestionibus resisteret, postremò non ferens
 eorum calumniam respondit: Nequaquam
 se à vanis simulacris auxilium petere velle,
 sed à Domino suo Iesu Christo, qui posset in
 momento si vellet eum ab infirmitate sua sa-
 nare. Et accitis illicò domesticis suis, vt ad
 suam eum deferrent Ecclesiam præcepit. Vbi
 positus coram cunctis qui astabant, supplices
 ad Dominum preces effudit, dicens: Domi-
 ne mi Iesu Christe, vt sciant isti miseri, quia tu
 es Deus

F

es Deus

es Deus solus, & non est alius præter te, da mihi seruo tuo in hac hora pristinam corporis mei sanitatem, vt videntes inimici magnalia tua de suis erroribus confundantur, & ad agnitionem tui nominis conuertantur: fac quæso quod peto propter nomen tuum sanctum quod est benedictum in secula, ne sit confusio confidentibus in te Domine. Postquam vocem, diuinâ eum medicante gratiâ, confestim sanissimus est redditus, & de Ecclesia per semetipsum egressus, pro salute sua Deo gratias agebat, & in fide Christi conualescens magis magisque incredulos confundebat. Per idem ferè temporis accidit, vt etiam quidam Rex Sueonum, nomine Anoundus, eiectus à Regno suo apud Danos exul fuerit. Qui fines Regni quondam sui denuo repetere cupiens, cœpit ab ipsis auxilium quærere, spondens quod si se sequerentur, multa eis possent donaria prouenire. Proponebat n. eis memoratum Birca, quod ibi multi essent negotiatores diuites & abundantia totius boni, atque pecunia thesaurorum multa. Illuc itaque se eos promittebat ducturum, vbi sine suo exercitus damno multo suæ necessitatis frueretur cōmodo. Illi ergo promissis muneribus delectati, & thesaurorum acquisitione auidi, in auxilium eius expeditorum ad pugnam hominum, 21. naues impleuerunt, & cum eo destinauerunt. Ipse verò de suis naues habebat 11. Exeuntes ergo de Danis ad vicum in-

speratè

*Miraculū
tertium.
Anoundus
Rex Suecia.*

ſperatè venerunt memoratum. Et fortè tunc
Rex ipſorum longius inde aberat, & Prin-
ceps ac multitudo populi congregari non po-
terat. Tantùm ſupradictus Herigarius Præfe-
ctus ipſius loci cum eis qui ibi manebant ne-
gociatoribus & populis præſens aderat. In
magna ergo anguſtia poſiti, ad ciuitatem
quæ iuxta erat confugerunt; cœperuntq; Dijs
ſuis vota & ſacrificia plurima promittere &
offerre, quò eorum auxilio in tali ſeruarentur
periculo. Sed quia ciuitas ipſa infirma erat,
& ipſi ad reſiſtendum pauci, miſerunt ad eos
Legatos dexteram & fœdus poſtulantes. Qui-
bus Rex præfatus mandauit, vt pro redem-
tione ipſius vici 100. libras argenti perſolue-
rent, ſicq; pacem haberent. Quod illi vt pete-
batur ſtatim miſerunt, & à Rege iam dicto ſu-
ſceptum eſt. Porro Dani grauiter huiſcemodi
ferentes conventionem, quia non ſicuti diſ-
poſuerant actum fuiſſet, cœperunt velle ſu-
pereos ſubitò irruere, & locum ipſum fun-
ditus deprædari atque comburere: dicentes,
vnumquemlibet negociatorem plus ibi ha-
bere quàm ſibi oblatum fuiſſet, & nullo mo-
do ſe tantam calumniam ſufferre poſſe. Cùm
ergo inter ſe agerent, & ad diripiendam urbem
ſe præpararent, hoc quoque illis innotuit.
Vnde ruruſus pariter congregati cùm nullo
modo vires haberent reſiſtendi, nullaque eis
ſpes eſſet refugij, ad vota & ſacrificia maiora
Dijs ſuis offerenda ſe inuicem cohortabantur.

Contra quos iratus fidelis Domini Herigarius, maledicta sint, inquit, vota & sacrificia vestra, cum Idolis vestris. Quam diu vultis demonibus seruire, & vos ipsos ad perniciem votis inanibus in paupertatem redigere? Ecce multa obtulistis, & ampliora vouistis: insuper libras argenti 100. dedistis. Quid profuit vobis? ecce omnia quæ habetis veniunt diripere: vxores vestras & filios ducent captiuos, ciuitatem & vicum igni succendent, & vos gladio peribitis; quid ergo prosunt vobis simulacra vestra? Ad quam vocem illi omnes perterriti, & quod agerent nescij, vnanimiter responderunt: Salus nostra & consilium in tua sit deliberatione, & quicquid nobis suggesseris, sine dubio faciemus. Quibus ille: Si, inquit, vota spondere vultis, vouete & reddite Domino Deo omnipotenti qui regnat in cælis, ipse omnium Dominus est, & in voluntate eius omnia posita sunt, nec est qui eius ditioni possit resistere. Si eius auxilium toto corde petieritis, omnipotentiam ipsius vobis non defuturam sentietis. Accepto itaq; ab eo consilio cuncti vnanimis & voluntarij exeuntes, sicut sibi consuetudinis erat in campum, pro liberatione sui ieiunium & eleemosynas Domino Christo deuouerunt. Interim Rex præfatus cum Danis agere cœpit, vt forte perquirerent, vtrum voluntate Deorum locus ipse ab eis deuastandus esset. Multi, inquit, Dij sunt ibi potentes, ibi etiam Ecclesia olim
constru-

constructa est, & cultura Christi à multis
 Christianis ibi excolitur, qui fortissimus est
 deorum, & potens spirantibus in se quocun-
 que modo vult auxiliari. Necessariò ergo que-
 rendum est, virum diuinà ad hoc voluntate
 incitemini. Quid illi? quia apud eos moris e-
 rat, nequaquam abnuere potuerunt. Inuen-
 tum est igitur, quòd cum sua hoc prosperitate
 nullatenus perficere possent, neque locum i-
 psam eorum deprædationi à Deo concessum:
 Iterum quæsitum est, in quam partem ituri es-
 sent, vbi sibi pecuniam acquirerent, ne vana
 spe frustrati ad sua vani remearent. Cecidit
 fors, quòd ad urbem quandam longius inde
 positam, in finibus Slauorum ire deberent.
 Hoc ergo Dani diuinitus sibi imperatum cre-
 dentes, à loco memorato recesserunt, ad vr-
 bem ipsam directo itinere properarunt, ir-
 ruentes super quietos & securè habitantes,
 improvisè urbem illam armis ceperunt, &
 spolijs ac thesauris multis ad sua reuersi sunt.
 Rex verò ille, qui ad eos deprædandum vene-
 rat, argentum quod ab eis nuper acceperat,
 reddidit, & apud eos aliquandiu resedit, vo-
 lens Genti suæ reconciliari. Sicque Domini
 gratià propter fidem Serui sui Herigarij po-
 pulum illius loci ab hostium incurso liberans,
 bonis suis restituit. Quo facto ipse in conuen-
 tu publico eandem rem proposuit, & vt quis
 Deus esset intentius prouiderent monuit, di-
 cens: Heu miseri, vel iam nunc intelligite,
 F 3 quòd

quòd vanum sit à dæmonibus auxilium petere, qui non possunt tribulationibus subuenire. Suscipite fidem Domini mei Iesu Christi, quem probastis verum Deum esse, qui vobis nullum habentibus refugium suæ miserationis tribuit auxilium. Nolite ultra culturam superstitiosam quærere, & inani sacrificio Idola vobis placare: verum Deum omnium quæ in cælis & in terris sunt colite, & ipsi vos subiicite, ipsiusq; omnipotentiam adorete. Sicque bonum certamen vsq; ad finem suæ perduxit vitæ: consummatoque boni operis cursu, languore ingrauescente, astante iam dicto Ardgario sacerdote, diuinæ commendatus clementiæ communionem sacra percepta, feliciter in Christo obiit.

*Hexag-
onis mori-
tur.*

CAPVT XVII.

De fide Matrone religiosa Fretsburgis.

Illis temporibus apud eos Matrone quædam fuit valde religiosa, quam nulla improborum peruersitas à fidei suæ rectitudine potuit euertere. Cui frequenter in quacunque necessitate positæ, vt more eorum Idolis sacrificaret suggestum est: sed illa immobilis fidei suæ munia non reliquit, vanum esse dicens à simulacris surdis & mutis auxilium quærere, & abominabile sibi videri, vt his, quibus in Baptismo renunciauerat, denuò intenderet, & sponsonem quam Christo promiserat, falleret. Si enim malum est, inquit, hominibus
menti-

mentiri, quantò magis Deo? Et si bonum est inter homines fidem constare, quantò magis qui fidem Domini accipit, nullatenus ab ea debet immutari? Dominus, inquit, meus Iesus Christus omnipotens est, ipse mihi, si in eius fide perseverauero, & sanitatem & omnia quibus indigeo præstare poterit. Prædicta religiosa scæmina, nomine Frerthuburg, in bonitate vitæ & fidei constantia laudabilis, dies vitæ suæ vsque ad tempus produxit senectutis. Cumque iam appropinquaret dies mortis suæ, & post discessum Domini Simonis nullus ibi tunc adesset Sacerdos, ipsa amore Sacrificij, quod audierat viaticum esse Christianum, de vino aliquantulum in quodam reseruari fecit vasculo, & filia suæ in fide commendâs, vt si quando ei vltimum tempus instaret, de ipso vino, quia Sacrificium non habebat, ei in os destillaret, vt vel sic Domini gratiæ exitum suum commendaret. Illud itaque vinum tribus ferè annis apud eam conseruatum est, sicque contigit illuc prædictum aduentasse Sacerdotem Ardgarium. Quo ibi posito, ipsa quandiu vires habuit, religionis suæ deuotionem exercuit, Missarum solemnia & salutaria monita sedulò ab eo exquirens. Verùm inter hæc languore se præoccupante cæpit infirmari, & sollicita de obitu suo memoratum ad se accersiri fecit Presbyterum, & accepto de manu eius viatico optato, feliciter migravit ad Dominum. Ipsa verò eleëmofynis semper

*Vinum.
Eucharistia
a puero, conseruatum.*

intenta, quia in seculi rebus diues erat, filia
 suæ prædictæ Cathlæ iniunxerat, vt post suum
 ex hac luce discessum cuncta quæ illius erant
 in pauperes dispensaret. Et quia hîc pauperes
 minùs inueniuntur, post obitum, inquit, meum,
 cum tibi primo oportunitas euenerit, vendi-
 ris omnibus quæ hic dispensata non fuerint,
 sume tecum argentum & vade ad Dorstadum.
 Ibi sunt Ecclesiæ plurimæ & Sacerdotes ac
 Clerici, ibi indigentium multitudo. Post ex-
 cessum matris, filia quæ mater iusserat strenuè
 adimpleuit. Arreptoque itinere perueniens
 ad Dorstadum, religiosas exquisiuit ibi fœmi-
 nas quæ cum eâ loca sancta circuirent, & quid
 cuique dispensari deberet, eam instruerent.
 Cùm quadam die causâ dispensandi loca san-
 cta circuirent, & medietas iam distributa es-
 set, dixit socijs suis: Nunc iam lassæ sumus,
 melius est vt aliquid de vino ematur, & refo-
 cillemur, & sic demum cœpta peragamus. Da-
 tis igitur ad hoc quatuor denarijs, & viribus
 resumptis quod cœpère peregerunt. Quibus
 completis ipsa ad hospitium suum rediens,
 saccum in quo argentum fuerat in quodam
 loco vacuum posuerat, sed largiente superno
 munere, sicut antea fuit plenum inuenit. Quæ
 tanto obstupefacta miraculo fœminis quæ se-
 cum prius ierant, quid sibi contigerit osten-
 dit. Coram quibus, quid inibi esset compu-
 tans, tantum inuenit quantum illò aduexit,
 exceptis quatuor denarijs. Consilio itaque
 ab eis

*Dirca in
 Suedia pau-
 ei pauperes.*

*Cathla ex
 Dirca Dor-
 stadum ve-
 niens, omnia
 sua bona
 pauperibus
 distribuit.*

*Miraculū
 pecunia re-
 stituta.*

ab eis accepto, iuit ad Sacerdotes, & ipsum eis innotuit. Ipsi autem, quia, inquit, matris tuæ obidiens fuisti, & fidem tuam circa eam illibatam seruasti, & eleemosynas illius strenuè implèsti, Dominus omnium bonorum retributor, pro necessitatis tuæ subsidio, ista tibi contulit. Ipse est omnibus sufficiens, omnibus indiget. Ipse omnia quæ pro eius nomine distributa fuerint, in cœlesti regno compensabit. Ista tibi à Deo donata sunt, & tu quocumque modo volueris ea dispensabis. Nam ea quæ in usus tuos acceperas noluit tibi reddere, sed tantùm ea quæ pro eius amore in pauperes distribuisti.

CAPVT XVIII.

De reuersione Ardgarij post mortem Herigarij, & de morte HLudouici Imperatoris.

Igitur post excessum prædicti viri Herigarij iam memoratus Sacerdos Dei Ardgarius, amore solitariae quam antè duxerat vitæ, ab illis partibus egressus, locum suum repetijt. Sicque denuo Christiani ibi positi Sacerdotali sunt præsentia destituti. Quare manifesto patuit indicio quòd ad corroborandam fidem præfati viri Herigarij, & supradictæ Matronæ Frethurgis, pariterque ut exitum eorum diuinæ commendaret clementiæ, & quod fideliter desiderauerant, ministerium videlicet sacrae Communionis pro vltimo via-

F s

mo via-

mo viatico perciperent, iam dictus Anachorita Ardgarius ad illas partes destinatus fuerit. Verum inter hæc & superius comprehensa contigit, bonæ memoriæ HLudovicum Serenissimum Imperatorem, diuino ordinante iudicio, vitâ præsentis decessisse. Post cuius obitum cum de Regni diuisione magna fieret perturbatio, Pastoris quoque nostri aliquando labefactari cœpit Legatio. Iam dictus Pater noster hac de causa multiplicibus tunc atteri cœpit necessitatibus & angustiis, sed tamen iniunctum sibi officium nequaquam deserere voluit.

CAPVT XIX.

Qualiter HLudovicus iunior cum consensu Episcoporum Episcopatum Bremensem causâ solarij Hammaburgensi Sedi subiunxit.

Dominus quoque humilitatem eius & patientiæ fortitudinem conspiciens, quia cor Regis in manu Domini est, clementissimi Domini & Senioris nostri HLudovici Regis, qui post patrem suum huius Regni gubernacula suscepit, ad hoc animum incitauit, vt quærere inciperet, vnde ei solatium facere posset, quò Legationis suæ mandata melius adimplere posset. Erat ibi iuxta Episcopatus Bremensis Ecclesiæ, tunc desolatus Pastore, illum ei dari disposuit. Vnde in publico conuentu Episcoporum suorum cæterorumque

rorumque fidelium tractare cum eis cœpit, utrum hoc ei facere Canonica auctoritate liceret. Dominus & Pastor noster sibi periculosum esse aliquo modo formidans & ne à quibuslibet noua cupiditas reprehenderetur cautè prouidens, non facilè huic dispositioni assentiebat. Iubente itaque Rege hac eadem res in Concilio Episcoporum ventilata est: qui multis præcedentibus exemplis probauerunt, bene posse fieri, ut quia Diœcesis illa, ad quam ipse ordinatus fuerat, totiens barbarorum incurſionibus, iam deuastata eſſet, ista ei causâ solatiij adiungeretur. Quo decreto ita ab Episcopis constituto, ipse iubente Rege Bremensem Diœcesim suscepit gubernandâ.

CAPVT XX.

Qualiter Guntharius Coloniensis Archi-Episcopus huic constitutioni restiterit, & postea consenserit, & per Salomonem Constantia Ciuitatis Episcopum ad Apostolicam Sedem directum, à Papa Nicolao hac eadem res Apostolica auctoritate firmata sit.

PORRÒ cùm hæc agerentur, Colonia ciuitas, ad quam Bremensis Parochia suffraganea erat, eo tempore absque benedictione Episcopali degebat. Quod quia diuturnum extitit, istud etiam sine loci illius Pontificis præsentia necessariò discernendum fuit. Postea tamen consecrato ad eundem locum Venerabili Præsule Gunthario, hoc ipsum Pa-
ter &

Guntharius Prasul Colonienfis. ter & Dominus noster ei suggerere studuit, vt suâ quoque auctoritate firmaretur: Cui tamen rei ipse admodum contrarius extitit.

Qua de causa postmodum in Wormacia ciuitate positus duobus Regibus, HLudovvico scilicet & HLothario, cum multitudine Episcoporum, & viriusque Regni frequentia, praesente Venerabili Patre nostro hæc eadem res exposita est. Quod cum ab omnibus benè ita ordinatum probaretur, vt prædictus Pontifex Guntharius hoc ipsum suâ auctoritate firmaret: cuncti rogârunt. Qui primò quidem fortiter his reniti cœpit, iustum non esse multipliciter asserens, vt Sedes suffraganea in Archi-Episcopalem verteretur, non se debere honorem Sedis suæ in aliquo minuere: postremò tamen, & ipsis Regibus, & cunctis simul Episcopis ibi aggregatis, pro hoc ipso eum rogantibus, & omninò causâ necessitatis id licitum fore dicentibus, respondit; Si Apostolica auctoritate firmaretur, ex se quoque ratum esse. Quo responso accepto, cum etiam omnes Suffraganei eius hæc eadem consensissent, piissimus Rex HLudovvicus, cupiens & patris sui eleëmofynam in omnibus augmentare, & quod ipse disposuerat per omnia ratum fieri, Reuerendissimum Salomonè Constantiæ ciuitatis Episcopum pro hoc ipso ad Sedem direxit Apostolicam. Cum quo etiam Dominus & Pater noster Ansgarius, quia ipse per se non poterat, Filium suum Fratrem suum

suum Nordfridum misit Præsbyterum. Qui *Nordfridus*
 officiosissimè à Sanctissimo accepti Papa Ni- *præsbyter.*
 colao, Legationes suæ mandatum ei planè &
 dilucidè retulerunt. Qui prudenter & solli-
 citè ea quæ ab ipsis dicebantur mente per-
 tractans, & Deo inspirante pro lucrandis a-
 nimabus Gentilium hanc constitutionem ef-
 se iustam decernens, voluntatem Regis nostri
 suâ auctoritate firmavit. Cùm enim causam
 Legationis eius & cætera superius compre-
 hensa plenè & breuiter recapitulasset, deinde
 subiunxit. Cuius delegationis & auctoritatis, *Hæc verba*
 & Pallij acceptionis, pagina nobis est à filio *habetur in-*
 nostro HLudovvico per Salomonem Sanctis- *fra in Appê-*
 simum Episcopum destinata, iuxta morem *dice in De-*
 Romanæ Ecclesiæ bullata Per cuius tenorem *creto Nica-*
 paginæ hæc ita fuisse comperimus, sicut pie- *lai Pap. su-*
 tas nobis iam fati Regis per fidelem virum *per hæc com-*
 Salomonem scilicet Episcopum nunciauit. *unctione.*
 Vnde nos vestigia tanti Pontificis & præde-
 cessoris nostri sequentes Gregorij Secundi,
 omnemque ibi Deo dignam statutam provi-
 dentiam agnoscentes, magnorum Principum
 votum, HLudovvici videlicet diuinæ recor-
 dationis Augusti, & æquiroci eius filij excel-
 lentissimi Regis, tam huius Apostolicæ aucto-
 ritatis præcepto, quàm etiam Pallij datione,
 more prædecessorum nostrorum, roborare
 decreuimus. Quatenus tantâ fundatus aucto-
 ritate prænominatus Ansgarius, primus Nor-
 dalbingorum Archi-Episcopus, & post ipsum
 succes-

successores eius, lucrandis plebibus insistentes aduersus tentamenta diaboli validiores existant, ipsumque Filium nostrum iam dictum Ansgarium, & successores eius, Legatos in omnibus circumquaque Gentibus Sueonum, Danorum, Fariæ, Norvvehorum, Gronlondon, Islondon, Scridevindun, Slauiorum, nec non omnium Septentrionalium & Orientalium nationum quocunque modo nominatarum, delegamus & sibi suisque successoribus vicem nostram perpetuò retinendam, publicamque Euangelizandi tribuimus auctoritatem, ipsamque Sedem Nordalbingorum, Hammaburg dictam, in honore Sancti Saluatoris, eiusque intemeratæ Genitricis perpetuæ Virginis Mariæ consecratam, Archi-Episcopalem esse decernimus, atque ut strenui prædicatoris Episcopi post discessum crebrò dicti Ansgarij Archi-Episcopi Filij nostri persona, tantoque officio apta eligatur semper successio, sub diuini obtestatione iudicij statuimus. Verùm quia mortuus est Diœceseos Bremensis Episcopus, & cum sæpè dictus Rex & hanc Diœcesim vacantem, & illam nouellam institutionem cerneret deficientem, insuper & vtranque hanc Ecclesiam Dei permittente occulto iudicio per barbarorum seuitiam admodum tenuaram quærere cœpit, qualiter prædicta Bremensis Ecclesia prædictæ nouellæ Archi-Episcopali vniretur ac subderetur Sedi, nostro hoc votum roborante decreto.

decreto. Vnde per sapè nominatum Venerabilem Missum, Salomonem videlicet Constantiæ ciuitatis Episcopum, nobis hoc relatum est confirmandum, ac postulatum est nostrâ auctoritate roborandum. Nos igitur id subtili perpendentes examine animaduertimus propter instantem necessitatem, & animarum lucra in Gentibus demonstrata, vtile fore. Omnia enim quæ proficua Ecclesiæ probatur existere, & diuinis non resultant præceptionibus, licita & facienda esse non dubitamus, maximè in tanta nouellæ Christianitatis plantatione, in qua varij solent euentus contingere. Quamobrem Omnipotentis Dei auctoritate, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & hoc nostro decreto decernimus, secundum Reuerendissimi Regis HLudovvici votum ipsas prædictas Diœceses, Hammaburgensem scilicet & Bremensem, non duas sed vnâ deinceps esse & vocari, subdiq̃ue Sedi, quæ prædecessoris nostri decreto Archiepiscopali est munere sublimata. Nullus verò Archiepiscopus Coloniensis vel quilibet, vllam sibi deinceps in eadem Diœcesi vendicat potestatem. Quin immò & ipsi omnibus omninò suademus, veræ religionis cultoribus, vt hac sacra Legatione fungentibus adiutorio & solatio sint, quatenus gratiâ huius beneficij plenam mercedem recipere mereantur, ab eo qui dixit: Ite docete omnes Gentes; &, Quicumque receperit vos, me recipit.

recipit. Itaque omnia à dilecto Domino nostro Rege HLudovvico ad hoc Deo dignum officium deputata, vt nostrâ etiam pia eius vota auctoritate firmamus. Et quia casus præteritorum nos cautos faciunt in futurum, omnem quoque aduersantem vel contradicentem, atque pijs nostris his studijs quolibet modo insidiantem, Anathematis mucrone percussimus, atque perpetuæ ultionis reum diabolicâ sorte damnamus, vt culmen Apostolicum more prædecessorum nostrorum, causamque Dei pio affectu zelantes, ab aduersis hinc inde partibus tutius muniamus. His itaque decretis atque institutionibus Papæ Sanctissimi Nicolai, Bremensis Ecclesia adiuncta, & unita, & subdita Sedi Hammaburgensi, quæ prius Metropolis constituta fuerat, facta est Archi-Episcopalis. Verum quia Diocæses illius ratione ita firmata, hæc præoccupando diximus; multum enim temporis fuit, ex quo Sedem illam gubernandam suscepit, priusquam auctoritate Apostolica firmaretur: ad ea quæ prius gesta sunt redeamus.

CAPVT XXI.

De familiaritate S. Ansgarij Archi-Episcopi apud Horicum Regem Danorum.

NAmque susceptâ Bremensî Parochiâ, iterum cœpit spiritu feruere intimo, si quid posset in partibus Danorum pro Christi elaborare nomine. Vnde frequentius adire solebat

solebat Horicum, qui tunc solus Monarchiâ Regni tenebat Danorum, vt officio prædicationis in Regno eius frueretur. Aliquotiens namque Regiâ Legatione ad eum mittebatur, & quæ ad fœdera pacis & vtriusque Regni vtilitatem pertinebant, strenuè & feliciter peragebat. Qua de re cognitâ fide & bonitate Sancti viri, prædictus Horicus Rex multo eâ affectu cœpit venerari, & libenter eius consilio vti, ac familiarissimum in omnibus habere, ita vt etiam inter secreta sua, dum de negocijs Regni cum Consiliarijs suis tractaret, eum interesse rogaret. Eâ quoque quæ inter populum huius terræ, videlicet Saxonum, ac Regnum ipsius causâ fœderis constitui debebât, non aliter nisi fide illius volebat firmari, hoc sibi dicens omnino fidelissimum esse, quod ille ei & laudâset ac spondisset. Hac itaq; familiaritatē potitus, cœpit etiam illi persuadere, vt fieret Christianus. Ille verò omnia quæ ei ex diuinâ intimabat Scripturâ benigne audiebat, & bona prorsus ac salutaria esse laudabat, seque his plurimum delectari, ac libenter velle Christi gratiam promereri dicebat. Cui post alia vota Sanctissimus Pater noster suggerere cœpit, vt Christo Domino hanc concederet beniuolentiam, vt in Regno suo Ecclesiam fieri permitteret, vbi Sacerdos omnino tempore adesset, & verbi diuini semina ac Baptismi gratiam quibusque volentibus suscipere traderet. Quod ille benignissimo concessit.

Oleswicum.

fit affectu, & in portu quodam Regni sui ad hoc aptissimo, & huic regioni proximo, Sleswiche vocato, vbi ex omni parte conuentus fiebat negotiatorum, Ecclesiam illi fabricare permisit, tribuens locum in quo Præsbyter maneret: datâ pariter licentiâ, vt quicumque vellet in Regno suo fieret Christianus. Hac ergo Dominus noster Episcopus acceptâ licentiâ, statim quod diu desiderauerat perfecit, Et consecratâ Ecclesiâ in honore Sanctæ Genitricis Dei Mariæ, & Præsbytero ibi constituto gratia Dei in eodem loco fructuosius crescere cœpit. Multi namq; ibi antea erant Christiani, qui vel in Dorstado, vel in Hammaburg baptizati fuerant, quorum quidam primores ipsius vici habebantur, & gaudebant facultatem sibi datam Christianitatem suam obseruandi. Quorum exemplo multi alij, & viri & fœmiuæ, relictâ superstitiosa Idolorum culturâ, ad fidem Domini conuersi baptizabantur; factumque est gaudium magnum in ipso loco, ita vt etiam huius Gentis homines abique omni pauore, quod antea non licebat, & negotiatores tam hinc quàm ex Dorstadio locum ipsum liberè expeterent, & hac occasione facultas totius boni inibi exuberaret. Multi apud eos infirmitatibus detenti, cum se Idolis frustrâ pro salute sua sacrificâsse vidissent, ad Domini misericordiam confugientes Christianos se fieri deuuebant, & Baptismi gratiam percipiebant, & statim diuinâ largi-

tate sa-

*Felix progressus
Christiana
religionis.*

tate sani fiebant, & ad fidem Domini conuersa est multitudo populi.

CAPVT XXII.

Qualiter Sacerdos Domini ad partes Sueonum iter suum preparauit & per Visionem Adalhardus Abbas ei prouentura nunciabit.

INter hæc verò Pastor noster Ansgarius etiam pro Gente Sueonum, eò quòd Sacerdotis præsentia tunc desolati essent, nimio còdolens affectu, à præfato poscere cœpit Rege Horico sibi in omnibus familiarissimo, vt suo auxilio fines illius Regni petere posset. Qui cum maximâ beniuolentiâ hanc petitionem eius suscipiens, ita se per omnia facturum promissit. Igitur deuotissimus Pater noster ad hoc iter præparare se cœpit, & vt quantocyus hoc expleret feruentiore incitabatur spiritu. Siquidem & hoc cœlitus sibi iniunctum credebat, visionē quadam inbutus, quam antea præuiderat. Visum namque est ei, quòd in ipso itinere valde esset sollicitus, & quòd ad quendam deueniret locum, in quo erat stru-
tura ædificiorum magna, & mansiones diuersæ, vbi quidam ei obuius factus, locutus est ad eum, dicens: De itinere quo sollicitaris, & de his quæ sunt in corde tuo, ne supra modum contristeris, quia hic est quidam Propheta, qui te de his omnibus certum reddet. Et ne aliqua menti suæ super eo insideat dubitatio,

Visio S. Ansgarii sextæ.

*Adalhar-
tus Abbas,
Propheta.*

bitatio, dicam tibi quis sit ille Propheta, Ab-
bas quidam Clarissimus Adalhardus; ipse
nempe est Propheta ad te à Domino missus,
qui tibi ea quæ prouentura sunt annuntiabit.
Quo ille audito, exhilaratus animo, visus est
illi respondisse: Domine, vbi inueniam eum?
Et ille: Tu, inquit, labore inuenies eum, nec
est licitum cuiquam tibi insinuare. Tunc vi-
sum est ei, quòd iret per circuitum mansionis
ipsum quærendo, & in mente sua tractaret.
Si, inquit, ille non interrogatus à me annun-
ciauerit mihi quæ sunt in animo tum verum
illum Prophetam comprobabo. Ad quandam
ergo perueniens mansionem speciosissimam,
vidit eum ibi in solio suo sedentem, & statim
recognouit. Ille confestim pronuncians, inten-
tus in eum dicere cœpit: Audite Insulæ, & at-
tendite populi de longè; Dominus ab utero
vocauit me, de ventre matris meæ recorda-
tus est nominis mei. Et posuit os tuum quasi
gladium acutum, in umbra manus suæ pro-
textit te, & posuit te sicut lagittam electam: in
pharetra sua abscondit te, & dixit tibi; Seruus
meus es tu, quia in te gloriabor. Quo dicto
extento brachio manum dexteram ad eum
cœpit erigere. Ille autem hoc viso, ad genua
eius accessit, sperans eum se velle benedicere.
At ille subiunxit: Dedit te in lumen Gentium,
vt sis illis in salutem, vsque ad extremum ter-
ræ. Reges videbunt & consurgent Principes,
& adorabunt Deum tuum & Sanctum Israël;
quia

*Propheta
S. Adalhar-
di ad S. Anso-
garium.*

quia glorificabit te. Hanc ergo visionem Seruus Dei cum antè profectionem illam longè vidisset, certum tenebat animo, Dei se imperio ad partes illas incitari. Et maximè in verbo quod dictum est illi: Audite Insulæ; quia omnis ferè patria illa in Insulis est constituta. Et quod subiunctum est: Eris illis in salutem vsque ad extremum terræ; quia finis mundi in Aquilonis partibus in Sueonum coniacet regionibus.

CAPVT XXIII.

Quòd in eadem Legatione Missum & Signum Horici Regis habuerit, & populum inuenerit errore confusum.

Profectionem itaque hanc suscepturus, iam dicti Regis Horici Missum pariter & Signum secum habuit, qui Regi Sueonum nomine Oleph, de parte sua mandatum tale intimare iussit, Seruum Dei sibi per omnia cognitum esse, ac se in vita sua nunquam tam bonum hominè vidisse, nec in quolibet mortalium aliquando tantam fidem inuenisse: ideoque cognita eius Sanctissima bonitate, omnia quæ ille in Regno suo causâ Christianæ religionis disponere vellet se ei concessisse; ipsumque petere, vt similiter in Regno suo ei permitteret culturam Christianitatis, quam optabat statuere. Susceptum itaque peragens iter, 20. fermè diebus nauigio transactis, venit ad Bircam, vbi inuenit Regem & multitudinem populi nimio errore confusam. Instigante

*Falsus
Propheta
diabolicâ
prophopœiâ
resiste S.
Ansgario in
Suedia.*

*Rex Ericus
deificandus.*

enim diabolo aduentum Beati viri omnimo-
dis præsciente, contigit eo ipso tempore, vt
quidam illò adueniens diceret, se in conuentu
Deorum, qui illam terram possidere crede-
bantur, affuisse, & se ab eis missum, vt hæc Re-
gi & populis nunciatet. Vos, inquam, vobis
propitios nos diu habuistis, & terram incol-
latus vestri cum multa abundantia nostro ad-
iutorio in pace & prosperitate longo tempore
renuistis. Vos, inquam, nobis sacrificia & vo-
ta debita persoluistis, grataque fuerunt no-
bis obsequia vestra. At nunc & sacrificia to-
lita subtrahitis, & vota segniùs offertis, &
quod magis displicet nobis, alienum Deum
super nos introducitis. Si itaq; nos vobis pro-
pitios habere vultis, sacrificia augete & maio-
ra vota persoluite: alterius quoque Dei cultu-
ram ne apud vos recipiatis, & eius seruitio ne
intendatis. Porro etiam si plures Deos habere
desideratis, & nos vobis non sufficimus, Eri-
cum quendam Regem vestrum nos vnanimis
in Collegium nostrum ascissimus, vt sit vnus
de numero Deorum. Hoc ergo diabolicum
mandatum publicè denunciatum in aduentu
Domini Episcopi mentes cunctorum pertur-
bat, & error nimius corda omnium confu-
derat. Nam & templum in honore supradicti
Regis dudum defuncti statuerunt, & ipsi tan-
quam Deo vota & sacrificia offerre cœperunt.
Aduenientes itaque illuc Dominus Episcopus
& qui cum eo erant, ab amicis suis quondam

ibi co

ibi cognitis querere cepit, quomodo Regem
 super hac re interpellaret. Qui omnes toto a-
 nimo contradicentes, asserabant nihil omni-
 nò ea vice Legationem proficere posse: sed si
 aliquid haberet precij, eâ ratione illum dare
 debere, vt viuis inde euaderet. Quibus ille:
 Non, inquit, pro vitæ meæ redemptione ali-
 quid hic daturus sum, quia si Dominus Deus
 meus ita disposuerit, pro eius nomine paratus
 sum hic & tormenta subire & mortem pati.
 Cùm ergo pro hac re in magna esset positus
 anxietate, tandem accepto consilio, Regem
 ad suum inuitauit hospitium: Cui conuiuium
 exhibens, dona quæ potuit obtulit, & Lega-
 tionis suæ mandata retulit. Delectatus itaque
 Rex & Caritatis eius beniuolentiâ & mune-
 rum datione, ad ea quæ suggererat, respondit:
 Antea hic fuerunt Clerici, qui populari hinc
 seditione, non Regio iussu eiecti sunt. Qua-
 propter & ego hanc Legationem tuam con-
 firmare non possum, nec audeo, priusquam
 sortibus Deos nostros consulam, & populi
 super hoc voluntatem interrogem. Sit Missus
 tuus in Placito mecum proximo, & ego pro
 te loquar populo; sic quippe apud eos moris
 est, vt quodcunque negotium publicum
 magis in populi vnanimâ voluntate, quàm
 in Regiâ consistat potestate. Hoc ergo Pater
 noster responso Regis accepto, totum se ad
 Domini conuertit refugium, ieiunijs & ora-
 tionibus vacans, atque in contritione cordis

*Amicè dis-
 sionis S.
 Ansgario
 predicatio-
 nem.*

*Rex Suedie
 conuiuio S.
 Ansgarj.*

semetipsum in conspectu Dei humilians,

CAPVT XXIV.

*Qualiter cognouerit gratiam Dei secum comitari,
& de consensu populi, vt Christianitas apud
eos haberetur.*

Verum ipso inter has pressurarum angustias posito, cum dies Placiti appropinquaret, quadam die inter sacra Missarum solemnina, dum Sacerdos altari astans Mysteria sacra benediceret, illi in terram prostrato, celestis effusa est inspiratio. Siquidem Spiritus Sancti dono interiori roboratus, & fiducia maximam in animo confortatus, cognouit sibi prouentura omnia uti vellet. Vnde eidem Sacerdoti sibi in omnibus familiarissimo post Missam denunciauit, Nihil trepidationis se habere debere, quia secum gratia Dei comitaretur. Quam mentis eius illustrationem, Frater ille satis recognouit; quia taliter eum diuinitus consolari, multis antea probauit indicijs. Hanc ergo animi eius fiduciam statim rei confirmauit euentus. Nam Rex congregatis primo Principibus suis, de hac patris nostri Legatione cum eis tractare coepit. Qui sortibus quaerendum statuerunt, quae super hoc Deorum esset voluntas. Exeuntes igitur more ipsorum in campum miserunt sortes: ceciditque sors, quod Dei voluntate religio Christianorum ibi fundaretur. Quod factum vnus ex Primoribus, amicus Domini Episcopi, statim ei

*Sors pro S:
Ansgario.*

tim ei innotuit, & vt consolaretur amico am-
monuit, dicens: confortare, viriliter age, quia
Dominus voluntati & Legationi tuæ non ab-
nuit. Sicque ipse fiducia sumtâ, spiritu inte-
riori letificatus, exultabat in Domino. Deinde
cum dies Placiti aduenisset, quod in prædicto
vico Birca habitum est; sicut ipsorum consue-
tudo est, præconis voce Rex, quæ eorum esset
Legatio, intimari fecit populo. Quo illi audi-
to, sicut erant antea errore confusi, diuersa
sentire, & tumultuare cœperunt. Quibus ita
perstreptentibus, consurgens vnus qui erat se-
nior natu, in medio plebis dixit: Audite me,
Rex & populi. De culturâ istius Dei pluribus
nostrum iam bene est cognitum, quod in se-
sperantibus magnum possit præstare subsidiû.
Nam multi nostrum iam sæpius, & in marinis
periculis, & in varijs necessitatibus, hoc pro-
bauerunt. Quare ergo abijcimus, quod neces-
sarium nobis & vtile scimus? Aliquando qui-
dam ex nobis Dorstadium adeuntes, huius
religionis normam spontaneâ voluntate susci-
piebant. Quod ergo tam longè positum prius
solicite quærebamus, propter insidias pira-
tarum, hoc nobis modò oblatum quare non
suscipimus? Et quia eius Dei gratiam nobis in
multis vtilem probauimus, quare Seruos eius
nobiscum manere non libenter assentimus?
Hoc ergo perorante, omnis multitudo populi
vnanimis effecta, elegit vt secum Dei Sacer-
dotes essent, & ministeria Christi apud eos fie-
rent.

CAPVT XXV.

De consensione Regis, vt apud eos Ecclesia fierent, & quomodo Dominus Episcopus Erimbertum Sacerdotem manibus Regis commendarit.

*Erimbertus
Sacerdos.*

HOc itaque factò, conuocato ad se Rex Domno Episcopo, quæ fuerant gesta retulit: Sicque omnium vnanimâ voluntate & consensu decreuit, vt apud eos Ecclesiæ fabricarentur, & Sacerdotes adessent, & quicumque vellet absque contradictione Christianus fieret. Dominus autem & Pastor noster quendam nepotem Simonis Episcopi, Erimbertum nomine, manibus Regis commendauit, vt suo auxilio & defensione munitus, Mysteria diuina ibidem ageret. Cui etiam Rex in præfato vico atrium vnum ad Oratorium dedit fabricandum; Dominus quoque Episcopus Presbytero ad habitandum alterum emit: præbensque idem Rex benignissimè circa Dominum Episcopum dilectionis suæ fauorem, & se fidelissimum circa Christianæ religionis cultum persistere velle promisit. Sicque per Domini gratiam his ritè peractis Seruus Dei ad sua reuersus est.

CAPVT XXVI.

De visione, quam præuidit in angustia mentis.

PORRò angustiam maximam mentis, quam in ipso perpeffus est itinere, Domino reuelante,

uelante; Pater noster Sanctissimus antè præ-
 sciuit. Visum namque est illi quadam nocte,
 quòd tempus esset Passionis Domini, & quòd
 ille præsens adesset, cùm Dominus Iesus Chri-
 stus à Pilato duceretur ad Herodem, & rursus
 ab Herode ad Pilatum: denique cùm à Iudæis
 & militibus spurta & opprobria patiens per
 omnia membra verberibus, vt ipsi videbatur,
 afficeretur. Ipse non sufferens sic illum puniri,
 accurrens opposuit se post dorsum eius verbe-
 rantibus, omniaque verbera quæ illi inflige-
 bantur, ipse in corpore suo susciperet, excepto
 quòd staturâ procerior, capite illo eminentior
 videbatur. Hanc itaque Visionem miles inui-
 ctus Christi, quid significaret, prius non co-
 gnouit, quàm de hoc itinere reuersus mente
 tractauit, quanta opprobria & irrisiones ibi
 sustinuerit, & in quantâ angustia fuerit, quan-
 tasque blasphemias in Deum illatas ibi sustu-
 lerit. Nam quantum ad eius pertinuit animû,
 ibi ille sine dubio pro Christo passus est, &
 ibi Christus in Seruo suo prius sibi illata de-
 nuo sustinuit impropria, Porro quòd caput
 illius defendere non poterat: hoc significare
 putabat, quia caput Christi Deus, quòd pas-
 siones quas Sancti in hoc mundo pro Christo
 sustinent, partim ad ipsam etiam Dei pertinet
 Maiestatem, quas ipse in se quodammodo
 compatiendo suscipiens ad tempus qui-
 dem tolerat, sed quandoque distri-
 ctè iudicat.

*Visio 3.
 Ansgarij seu
 prima.*

CAP.

CAPVT XXVII.

Qualiter virtus Domini Sueonibus patefacta sit, & ipsi vota spontanea Domino promiserint.

*Hodie dicitur Cur-
land.*

Nec prætereundum videtur, qualiter virtus Domini post hanc profectioem iam dictis Sueonibus patefacta sit. Gensenim quædam ab eis longè posita, vocata Chor, Sueonum Principatui olim subiecta fuerat; sed iam tunc diu erat, quòd rebellando eis subijci dedignabatur. Denique Dani hoc scientes tempore supradictò, quòd Dominus Episcopus iam in partes Sueonum aduenerat, nauium congregatâ multitudine ad eandem perrexerunt patriam, volentes & bona eorû diripere, & sibi eos subiugare. Regnum verò ipsum 5, habet ciuitates. Populi itaque inibi manentes, cognito eorum aduentu, conglobati in vnum, cœpère viriliter resistere, & sua defendere: datâque sibi victoriâ, medietate populi Danorû cæde prostratâ, medias quoque naues eorum diripuerunt, auro & argêto, spolijsque multis ab eis acceptis. Quod audiens prædictus Rex Oleph, & populi Sueonum, volentes sibi nomen aquirere, quòd facere possent quæ Dani non fecerunt, & quia sibi etiam antea fuerant subiecti, innumerabili congregato exercitu, ad quandam urbem Regni ipsorum, vocatam Seburg, improuisè adeuntes, penitus illam deuastando & spoliando

*Seburg
urbs.*

liando succederent. Exinde confortati animo dimissis nauibus, iter quinque dierum arripientes, ad illam urbem, quæ Apulia dicebatur, properabant. Cùm itaq; illò aduenissent, isti à foris urbem debellare, illi deintus cœpère viriliter repugnare. Sicq; transierunt dies octo, vt omni die à manè vsque ad vesperam bello instarent, & multi hinc & inde caderent; neutra tamen pars victoriam haberet. Cùm iam noua die populus Sueonum diutina cæde fatigatus cœpit angustari, & timido corde hoc solum cogitare, quomodo inde euaderet: hic, inquit, non proficimus, & naues nostræ longius ablunt. Cùm ergo quid agerent omninò nescirent, quærendum sortibus statuerunt, vtrum Dijeorum eis vellent auxiliari, vt vel victoriam caperent, vel viui inde euaderent. Missis itaque sortibus, neminem Deorum qui eis subsidio vellent esse intenerunt. Quod cùm nunciaretur in populo, vlulatus & gemitus immensus exortus est in castris, omnisq; virtus ab eis recessit: Quid, inquit, infelices acturi sumus? Dij recesserunt à nobis, quò fugiemus? Ecce naues nostræ longius sunt positæ, fugientibusq; nobis isti insequentes ad internecionem nos delebunt. Cùm itaque in tantâ essent angustia positi, quidam negociatores memores doctrinæ Domni Episcopi cœperunt dicere: Deus Christianorum multotiens ad se clamantibus auxiliatur, & potentissimus est in adiuuando:

Quæra-

*Apulia
urbs.*

Suedi à falsis suis Dijs destituti, à Christo adiuuandi.

Quæramus an ipse nobiscum esse velit, & vota ei placita spondeamus. Omniumque rogatu simplici missa est fors, & inuentum est quod eis Christus vellet auxiliari. Quod cum publice cunctis annunciatum esset, omnium corda ita subito roborata sunt, ut confestim ad urbem expugnandam intrepidi vellent accedere; Quid, inquit, nobis formidandum, quid uere pauendum est? Christus est nobiscum; pugnemus & viriliter agamus, nihil nobis obstare poterit. Nec deerit nobis certa victoria, quia potentissimum Deorum adiutorem habemus. Cumque in circuitu astantes, pugnam inire vellent, ab his qui intrinsecus erant postulatū est, ut copia eis daretur loquendi. Quod cum Rex Sueonum annuisset illis, subsecuti sunt. Nobis iam pax magis placet, quam pugna, & fœdus vobiscum inire cupimus. Et primò quidem quicquid ex spolijs Danorum, auro & in armis accepimus, vobis pro munere fœderis damus. Deinde pro vnoquoque homine in hac urbe dimidiam libram argenti offerimus: & insuper censum, quem antè solebamus, vobis persoluimus. Rex verò & Principes dexteras ab eis accipientes fœdus inierunt, & thesauris innumerabilibus atque obsidibus; & sibi collatis cum gaudio ad sua reuersi sunt. Statim Sueones Christi Domini nostri Omnipotentiam collaudantes, eumque magnum super omnes Deos esse prædicabant; & sibi placitum deuouerunt ieiunium: ita ut ad sua reuersi

*Apulia
fœdus cum
Suedis pax
gat. Et se eis
subiiceret.*

reuerſi poſtquam domi ſeptem dies eſſent, *ieiunium*
illos ſeptem omnes pariter à carne abſtinerēt. *Suedorum.*
Sed & poſt hoc 40. diebus euolutis, ipſi vna-
nima conuentione 40. ſequentes ſimiliter à
carne pœnitentiam agerent. Quod & factum
eſt. Sicque fauore omnium prædictus Erim-
bertus Sacerdos, liberè apud eos quæ Dei
ſunt agebat, & diuinæ Religionis augmenta
ſtudebat.

CAPVT XXVIII.

*De morte Horici Regis, & de perſecutione iunioris
Horici; & quomodo poſtea conuerſus qua ante-
ceſſor ſuus conceſſerat ſtabilierit &
auxerit.*

INter hæc verò contigit diuino iudicio, vt
piratarum infeſtatione memoratus Ho-
ricus Rex bello interemtus ſit. Cum quo o-
mnes pariter Primores terræ illius, qui olim
Domno Epifcopo familiares & amici habe-
bantur, gladio interierunt. Deinde poſt hæc
conſtituto Rege Horico iuniore, quidam Co- *Horicus*
mes præfati vici Slieſvvic, nomine Houi, & *iunior de-*
cæteri Principes eius perſuadere ei cœperunt, *ſtraxit Eccle-*
vt Eccleſia apud eos facta deſtrueretur, & Re- *ſiã: ſed pauld*
ligio Chriſtianitatis ibi cœpta annullaretur. *poſt conuer-*
Vnde & Preſbyter qui ibi aderat perſecutio-
nis acerbitate compulſus inde reſeſſit. Pro hac
itaque re Domnus Epifcopus nimium con-
triftatus, quia nullum tunc cum Horico iu-
niore amicum habebat, ad diuina ſolito
more

more cucurrit auxilium. Consolatus est quippe eum Dominus spiritali consolatione, & certus omninò factus est, quòd nullo modo Religio Christiana ibidem cœpta deperiret. Nam cum pro hac eadem re ad prædictum Regem ire disponderet, Domini præueniente gratia, idem Rex expulerat priùs de vico memorato iam dictum Comitum, ita vt nunquã postea in eius gratiam redire possent; & ad Dominum Episcopum gratis suum direxit Legatum, mandans vt Sacerdotem suum ad propriam remitteret Ecclesiam, nec se minùs quàm seniore Horicum Christi gratiam velle promereri. Quo factò, cum ipse Pastor noster ad eius præsentiam veniret, tantã gratiã à iuniore susceptus est Horico, vt statim ei omnia, quæ antecessor suus causã Christianitatis in Regno suo fieri permiserat, ipse quoque concederet. Insuper etiã, quòd antea paganus nefandum videbatur, vt Clocca in eadem haberetur Ecclesia concessit. In alio quoque vico Regni sui, Ripa vocato, similiter locum vbi Ecclesia fabricaretur concessit, & vt ibi Sacerdos præsens adesset licentiam dedit.

*Clocca.
Ripensis Eccl^{ie}
olstra.*

CAPVT XXIX.

Quomodo Ansfridum Dominus Archi-Episcopus miserit, & post eius reuersionem Raginbertum & post eius mortem Rimbertum.

HIs ritè peractis, Pastor noster venerabilis ad Gentem Sueonum quendam misit

misit Presbyterum, nomine Ansfridum, qui ex Gente Danorum oriundus erat: Qui cum illo aduenisset, memoratus Erimberrus Sacerdos exinde reuersus, & ille ibi cum multa omnium ambitione tribus annis demoratus est. Post reuersionem verò Ansfridi, qui apud nos aliquandiu conuersatus, aggrauescente dolore defunctus est; suum misit illic Presbyterum, nomine Raginbertum: qui cum ad hoc satis idoneus, & tantæ profectio- nis valdè esset voluntarius, & ad portum memoratum Sliasvich pergeret, diabolicâ machinatione in via Danorum latrocinantium insidijs circumnactus, & his quæ habebat spoliatus, die Assumptionis Sanctæ Mariæ ipse quoque in bonæ voluntatis cursu feliciter consummatus est. Quod cum Domni Episcopi animum nimio affecisset mœrore, nequaquam tamen à cœpta retrahi potuit voluntate; verùm in hoc opus alium ordinauit Presbyterum, ex Gente Danorum progenitum, nomine Rimberrum: qui & à populo susceptus, diuina apud eos Mysteria largiente Domino liberè hæctenus celebrauit.

CAPVT XXX.

*De vita & conuersatione Sanctissimi Patris
Ansgary.*

SANÈ, quia de causa Legationis eius, & Securâ quâ alios seruare cupiebat, multa iam diximus; qualis in semetipso & pro salute

H

lute

lute propriæ animæ extiterit, qualiterque corpus suum afflixerit, iam nunc tempus est enarrandi. Qualis namque apud vos in Monasterio in omni deuotionis suæ studio effulserit, vobis optimè est compertum: tamen vt auditum habemus, ipse adolescens & iuuenis senibus & grandæuis mirandus videbatur & imitandus. Iam verò sumto apud nos Episcopatu, hoc omninè quod in Monasterio inchoauerat modis omnibus augmentare, & vitam omnium Sanctorum imitari studuit: specialius tamen Beati Martini. Cilicio namque ad carnem non solum in die, sed etiam nocte vsus est, & magno opere populis Verbum Domini prædicando prodesse studebat. Interdum tamen, vt seipsum in diuina exerceret Philosophiâ, in solitudine manebat: ad quod opus Cellam aptam sibi constructam habebat, quam appellabat quietum locum & amicam mœrori; vbi cum paucis demoratus, quotiescunque à prædicatione & Ecclesiasticis officijs ab inquietudine paganorum liber esse poterat habitauit: ita tamen vt nunquam proprium commodum & solitudinis amorem gregis sibi commissi præponeret utilitati. Potro quo usque iuuentutis aliquatenus potitus est robore, persæpe panem in pondere & aquam in mensura sumebat, quo tempore non modicè, vt ipse affirmabat, à spiritu tentatus est Cenodoxiæ. Studebat namque inimicus hu-
mani ge-

*S. Ansga-
rius B.
Martini
imitator.*

*Cella S.
Ansgarij.*

*Abstinen-
tia S. Ansgarij, iuuue-
nis.*

mani generis peste iam dicta animam illius
 inficere, & magnus ipse oculis suis videba-
 tur. Qua de re tristis factus & ad Domini pie-
 tatem in oratione conuersus, postulabat vt
 suâ eum gratiâ ab hac perniciosissima impie-
 tate liberaret: Quod & factum est. Iam verò
 postquam senuit, non aded potuit de cibo
 abstinere, potus tamen ei semper aqua erat,
 nisi quòd propter vanam gloriam vitandam
 magis, quàm aliquam suauitatem capien-
 dam, aliquantulum ipsi aqua quam bibitu-
 rus erat de potu ammiseret. Quia tamen in
 senectute sua solita nequiuit vt parsimonia,
 studuit hoc eleëmofynis & orationibus,
 multisque alijs bonis compensare: huius rei
 gratiâ multos redemit captiuos, quibus liber-
 tatem dedit; nonnullos tamen eorum ad Dei
 seruitium educandos literis diuinis instruere
 iussit. Sed nunquam illi satis esse poterat,
 quin omnem vitam suam in luctu & lacrymis
 exigere vellet. nam licet illi compunctio cor-
 dis frequenter lacrymas excitaret, non ta-
 men vnquam ei sufficientes videbantur, nisi
 quòd in vltimo ætatis suæ anno hanc gratiam
 diu quæsitam Domino largiente promeruit,
 vt quotiescunque vellet ploraret. Denique ex
 ipsis compunctiuis rebus, & sacra Scriptura
 sumtis, per omnes Psalmos propriam apra-
 uit oratiunculam, quod ipse pigmenta voca-
 re solebat, vt ei Psalmi hac de causa dulce-
 cerent: in quibus scilicet pigmentis non

Et Jerem

*Compun-
 ctio & la-
 cryma S.
 Ansgarij:*

*Pigmenta
 S. Ansgarij,
 hoc, est, ora-
 tiuncula in
 singulos*

H 2

punctio-

Psalms. Vi-
do Crantz.
Metropol.
lib. 1. cap.
42. in fin.

punctionem verborum curabat, sed compun-
ctionem cordis tantum quærebat; in qui-
bus aliquando Dei laudat omnipotentiam
& iudicium, aliquando semetipsum vitupe-
rat, aliquando Sanctos qui Deo obediunt
beatificat, aliquando miseros & peccatores
lūget, quibus omnibus semetipsum semper
deteriorem dicebat. Quæ tamen alijs cum
eo Psalmos canentibus, finito Psalmo, ipse
solus tacitus ruminare solebat, nec ulli ea ma-
nifestare volebat. Quidam tamen nostrum,
qui ei familiarissimus erat, magnâ vi precum-
vix ab eo obtinuit, ut ei ipsa pigmenta, sicut
ille cantare solitus erat, diceret: Quæ ta-
men ipse conscripta vivente eo nemini inno-

S. Ansga-
rius inter
cantandum
Psalmos mani-
bus opera-
batur.

Exerci-
cia sacra S.
Ansgarij.

Elemosyne
S. Ansgarij.

ruit; sed post obitum eius quibusque legere
volentibus exhibuit. Inter Psalmos autem can-
tandum frequenter etiam manibus operari
solebat: nam his temporibus rete operaba-
tur. De ipsis verò Psalmis dispositum habuit,
quos in nocte quos in die cantaret; quos dum
se ad Missam parabat cantaret, quos dum di-
scalceatus ad lectum ire volebat. Manè autem
semper quando se calciabat & latiabat, Leta-
niam cantabat, & sic ad Ecclesiam profectus
tres aut quatuor Missas celebrari faciebat, ipse
astans & officium agens. Statuto legitimo tē-
pore, in die publicam Missam, nisi aliqua ei in-
commoditas accidisset, ipse cantabat. In elec-
mosynis verò dandis quàm ipse liberalissimus
fuerit quis enarrare potuit? cum omnia quæ

ha bebat

habebat in Domini voluntate necessitatem patientibus subministrare cupiebat. Et non solum in propria Parochia sed etiam in longinquis regionibus positis subsidium sui adiutorij ministrabat. Specialius tamen hospitale pauperum in Brema constitutum habebat, ad quod decimas de nonnullis villis disposuit, ut ibi eum cotidiana susceptione pauperum aegroti recrearentur. Per omnem Episcopatum suum decimas animalium & omnium reddituum, decimasque decimarum, quae ad eum pertinebant, in pauperum expansionem distribuebat, & quicquid argenti vel cuiuslibet census illi proveniebat, de argento etiam, quod ad Ecclesias in Monasterijs veniebat, quartam partem ad hoc ipsum destinabat. Curam vero pupillorum ac viduarum maximam semper habebat, & ubicunque Anachoritas esse sciebat, frequentibus visitationibus & donis ipsos in Dei servitio confortare & necessarijs subsidijs adiuuare studebat. Habebat quoque in zona propria semper sacculum cum nummis, ut si quando egens veniret, & dispensator eleemosynae suae desset, ipse sine mora quod daret haberet. Studebat enim illud Beati Iob dictum per omnia implere: ut nec saltem oculos viduae aliquando expectare faceret. Denique cum Parochias more Episcopali circuitet, antequam ipse ad convivium accederet, pauperes praecipiebat introduci; quibus & aquam ad manus lauandas

exhibebat, & eulogijs datis miscebat & mensâ antè ipsos posirâ. sic demum ad conuiuium suum cum hospitijs accedebat. Hæc & multa alia in Dei nomine faciebat.

CAPVT XXXI.

De Pastoralis eius gratiâ, & quomodo contumaces, mandatum eius preuaricantes, ignem diuinæ ultionis senserint.

AT verò de Pastoralis eius gratiâ qualis quantusque extiterit, præterisse non videtur. Nam quod ipse super gregis sui custodia sollicitus, multa sublimia videre promeruit, & in mente superna frequentius visitatione inspiratus sit, superius iam in multis comprehensum ostendimus. Denique iam exterius gratiâ Dei in eo largius coruscante, sermo prædicationis illius multâ suauitate profusus, partim erat horribilis, vt certo probaretur indicio, infusione spiritali verba eius moderari, quo miscens terroribus blandimenta vim diuini prætenderet iudicij, in quo veniens Dominus terribilis peccatoribus, & blandus apparebit iustis. Hac quippe gratiâ in verbis & vultu ammirandus erat, ita vt eum potentes & diuites, maximè tamen contumaces & proterui, terribilem attendere, mediocres verò quasi fratrem completerentur, pauperes autem quasi patrem piissimum venerarentur affectu. Porro licet signa virtutum velut instrumenta iactantiæ cautè

S. Ansgarius in verbis suis suavis & grauis.

cautè fugeret, tamen eo non quærente & *Miraculè*
 hæc ipsa non deerant. Nam cum quodam *pœna in per-*
 tempore, in Frisia in pago Ostergao, in die *uicacis.*
 Dominica prædicaret populo, & inter alia
 prohiberet, ne quis in die Festo opus serui-
 le exerceret, quidam illorum, ut sunt con-
 tumaces & stolidi, domum reuerſi, quia seren-
 us erat aër in pratum euntes collecto fæ-
 no aceruos fecerunt: quibus factis, adue-
 sperascente die, omnes illi acerui, qui eadem
 die facti fuerant, diuinitus igni consumti
 sunt, illæſis illis permanentibus, qui in ante-
 rioribus diebus in medio præparati conste-
 bant. Quo facto, populi in circuitu manen-
 tes, fumum à longè cernentes, hostem ad-
 esse putantes, timuerunt valdè; sed diligen-
 tiùs rei veritatem perſcrutantes, contuma-
 ciam nonnullorum probauerunt esse mul-
 tatam.

CAPVT XXXII.

*De prauaricatione Nordalbingorum & correptione;
 & qualiter idipſum Archi-Epiſcopo priùs
 cœlitus ostensum ſit.*

NEc ſilentio prætereundum arbitramur
 quia cum quodam tempore gens Nor-
 dalbingorum plurimum deliquiſſet, quorum
 delictum huiusmodi erat: videlicet cum non-
 nulli miſeri captiui de Chriſtianiſ, qui apud
 barbaros nimis affligebantur, inde effuge-
 rent, & ad Chriſtianos venirent, ad prædi-

H 4

ctos Nor-

Etos Nordalbingos, qui proximi noscuntur
 esse pagani, ipsi eos capiebant & in vinculis
 ponebant; quorum alios iterum pagani ven-
 debant, alios suo mancipabant seruitio, aut
 alijs Christianis vendebant. Cùm ergo hoc
 Domino innotuisset Episcopo, & de hac re
 nimium anxius esset, quòd in sua Diocesi
 tantum nefas contigisset, quadam nocte di-
 uina ei apparuit consolatio, videbatur nam-
 que illi, quòd Dominus Iesus esset in præ-
 senti seculo, sicut olim fuit, quando suæ præ-
 sentis doctrinam & exempla populis præbe-
 bat. Visumque est ei quòd illet cum multitu-
 dine fidelium, & quòd ipse Dominus Episcopus
 cum eo in eodẽ esset itinere lætus ac gaudens,
 & vt ipsi videbatur erat in omnibus contuma-
 cibus terror diuinitus illatus, & ereptio fiebat
 oppressorum & quies magna in omnibus, ita
 vt nihil contrarietatis in ipso videretur esse i-
 tinere. Post hanc itaque visionem ad prædi-
 ctum populum suum ipse parauit profectio-
 nem, eã videlicet voluntate, vt & miseros qui
 irrationabiliter seruituti addicti erant, & ven-
 diti, quoquo pacto liberaret; & ne imposte-
 rum aliquis tantum malum committere au-
 deret, cum Domini gratia prohiberet. In qua
 profectioe tantam illi Dominus concessit
 gratiam, tantumque metum auctoritatis eius
 contumacibus incussit, vt licet esset nobiles &
 malè potentes, nullus tamen illorũ suo impe-
 rio auderet contradicere: sed quærebantur mi-
 seri vbi.

Visio S.
 Ansgarij o-
 rana.

feri vbicunq; venditi erant & donati libertate
dimittebantur vt irent quocunq; vellent. In-
super ne vlla fraus in futurũ pro eadem re ob-
tenderetur, conventionem talem fecerunt, vt
non iuramento nec testibus se vllus eorum, qui
in prædictã rapacitate maculati fuerant, defen-
deret, sed iudicio omnipotentis Dei se com-
mitteret. Hoc ergo factò in ipso itinere Domi-
nus veraciter exhibuit, quod fidelibus polli-
citus est dicens: Ecce ego vobiscum sum omni-
bus diebus vsque ad consummationem seculi,

CAPVT XXXIII.

*Quod multi oratione illius, & vnctione Olei sacri
sanati sint; & de infirmitate & vltima defatigatio-
ne corporis eius: & qualiter pro tristitia animi
sui per excessum mentis diuinitus con-
solatus sit.*

QVanti verò oratione illius & vnctione
olei sacri sanati sint, enumerare non
possumus. Hoc enim multorum assertione
comperio, certatim ad eum, non solum de
ipsius Diœcesi, sed etiam de longinquo ve-
nire solebant ægrotantes medicinam salutis
ab eo poscentes. Ipse tamen hæc omnia sem-
per occultari maluit, quàm vulgari: nempe
cùm de huiusmodi virtutum signis aliquando
coram eo fieret sermo, ipse cuidam suo di-
xit familiari: Si dignus essem apud Deum
meum, rogarem, quatenus vnum mihi conce-
deret signum, videlicet vt de me gratia sua

Hic faceret

faceret bonum hominem. Præterea cùm talis ei esset vita, infirmitate tamen proprii corporis penè assiduè laborabat: omnis quippe vita eius ferè Martyrium fuit. Nam ætatis suæ anno sexagesimo quarto, Episcopatus verò trigesimo quarto, graui cœpit corporis morbo laborare, Dysenteriâ scilicet iugi: quæ cùm per multos dies, mensibus videlicet quatuor & amplius, acriter laboraret, & se ad mortem vergere sentiret, semper Deo gratias agebat, minoremque ipsum laborem esse dicebat, quàm sua mereretur iniquitas. Denique cùm sapius ea de re cum Discipulo suo, qui ei conscius penè in omnibus fuit, colloqueretur, & ipse summopere eum consolari voluisset, ad memoriam eius reuocare studens, quantam in Dei Seruitio, quantamque corporis sui pertulerit molestiam, & quòd etiam ipsa infirmitas nouissima grauis nimium & diutina, satis ipsi pro Martyrio reputari potuisset; ipse tamen nullo modo consolationem recipiens, sed in supra dicto permanebat mœrore. Vnde factum est, vt Dominus Seruum suum non iam vt priùs per somnium, sed apertius consolari dignatus sit, quatenus tanto mœrore suæ gratiæ præstaret remedium. Nam cùm quadam die ad Missam in Oratorio consistens, pro hoc ipso nimium sollicitus esset, subitò in excessu mentis raptus, audiuit vocem quandam sic vigilans, quæ ipsum vehementer increpabat, quòd nullatenus

S. Rimbertus consolatur eum.

S. Ansgarius in excessu mentis: quæ est quasi visio nona.

tenus de Dei promissione dubitare debuisset, quasi aliqua iniquitas Dei potuisset pietatem vincere: Firmissime crede, inquit, & nullatenus dubites, quia vtrumque tibi Deus suam gratiam faciet; idem & peccata dimittet, pro quibus modo sollicitus es, & omnia quae promisit implebit. Qua consolatione suscepta, ipse quoque consolabatur semetipsum.

CAPVT XXXIV.

De procuratione rerum suarum, & de transmigrationis eius tempore.

DEinde sollicitus quoque in Diocesi sua procurando cepit disponere, insuper & priuilegia Apostolicæ Sedis, quæ erant de Legatione ipsius facta, in multis libellis iussit describere, & per omnes penè Domni HLudovvici Regis Episcopos destinare. Ipsi quoque Regi HLudovvico, Filioque eius æquiuoco, hoc ipsum dirigens, addens & suo nomini literas, quibus postulavit, vt hæc in memoriam haberent, simul etiam prout res dictaret adiutorio essent, quatinus Legatio ipsa Dei auxiliante gratiâ & ipsis adiuuantibus fructificare & crescere in Gentibus potuisset. Porrò cum iam per tres menses continuos prædictâ laboraret infirmitate, & Epiphania Domini transisset, optare cepit, quatinus eum in Purificatione Sanctæ Mariæ ad Domini gratiam transire liceret. Qua ergo Festiuitate appropinquante, præcepit Clero & pau-

*S. Ansgarius optauit
in Festo Purificationis
Mariæ mori.*

& pauperibus conuiuium præparare, vt in ipso sanctissimo die epularentur. Iussit etiam vt tres fierent cerei magni ex sua speciali cera: quibus factis in ipsa vigilia prædictæ Festiuitatis fecit eos antè se ferri, & vnum ad Altare Sanctæ Mariæ accendere præcepit, alterum verò antè Altare Sancti Petri, tertium autem antè Altare Sancti Iohannis Baptistæ, optans vt ipsi eum de corpore susciperent egredientem, qui in supradietâ visione olim eius fuerant ductores. Cæterùm, prædictâ infirmitate ita erat fatigatus & attritus, vt penè iam in corpore ipsius nihil remaneret, exceptis ossibus, neruis ligatis & corio tectis. Attamen ipse semper in Domini laude se exercebat. Illucescente verò iam dictæ Festiuitatis die, Missas pro eo, sicut cotidie soliti fuerant, cuncti qui affuere Sacerdotes celebrarunt. Ipse verò ordinare cœpit, qualiter ad populum fieret sermo asserens nihil se eodem die gustaturum, donec publica finiretur Missa. Quâ finitâ cum parumper comedisset & bibisset, per omnem diem studiosius suos commonere, & ad Domini Seruitium accedere studuit, nunc communiter, nunc singulatim quemque prout poterat, ad diuinum animans seruitium. Maximè tamen eius cura & sollicitudo fuit de sua Legatione ad Gentes. Noctem quoque sequentem in talibus ammonitionibus perduxit continuam, Fratres verò qui aderant cum & Letaniam facerent, &

*Tres Cerei
accensi.*

*Missæ pro
eo.*

cerent, & Psalmos ex more pro eius exitu decantarent, ammonuit ipse, vt etiam Hymnum ad laudem Dei compositum, id est, Te Deum laudamus, pariter cantarent, Fidem quoque Catholicam à Beato Athanasio compositam. Manè verò facto omnibus qui aderant Sacerdotibus sacra Missarum solemnità pro eo celebrantibus Domini Corporis & Sanguinis communionē perceptā, eleuatis manibus precabatur, vt quicumque in eum quoquo modo peccasset, diuina ei pietas remitteret. Deinde versiculos istos cœpit frequentius repetere: Secundum dñm misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Domine Deus propitius esto mihi peccatori, Et, in manus tuas commendo spiritum meum. Cumque hæc ipse læpius repereret, & frequenti anhelitu iam ea frequentare non valeret, cuidam Fratri præcepit, vt hæc eadem vice illius frequentando cantaret. Sicque oculis in cœlum intentis, Domini gratiæ commendatum spiritum exhalauit.

Sanctus Ansgarius obiit anno Domini octingentesimo sexagesimo quinto: Anno autem ætatis sue sexagesimo quarto. Nam triginta annorum erat, quando consecrabatur in Archi-Episcopum Hamburgensis Ecclesiæ: cui ante Vniouem præfuit sedecim annis. Post hæc

Ciuitas

Voluit, Te Deum laudamus, & Symbolum Athanasij, decantari:

*Voces omnes
ultima.*

Ciuitas Hamburgensis fuit à barbaris depopulata, & Dominus Archi-Episcopus expulsus. Deinde Ecclesia Hamburgensis & Bremensis fuerunt vnita: post hanc Vnionem Dominus Archi-Episcopus vixit octadecim annis.

Hæc sunt verba Alberti Crantzij Metro-
poleos lib. 1. cap. 42. circ. fin. Sedit in vniuer-
sum Ansgarius in Episcopatu annis 34. Nam
primis annis septem Hamburgi Sedem ha-
buit, annis verò nouem in Ramsøla, dein-
de translatus Bremam duodecim annos per-
egit, antè impetratam Romæ plenariam Ec-
clesiarum Vnionem. Nouissimè ad annum
vsque septimum, post
illam,



VITA

VITA S. RIMBERTI.

Capitula Vitæ & Gestorum S. Rimberti Archi-Episcopi & Confessoris.

PROLOGVS.

- C**aput 1. Propositum Ludovici Imperatoris, patris sui Karoli Magni pia instituta continuandi & consummandi.
2. Ludovicus Imperator facit S. Ansgarium ordinari Archi-Episcopum Hamburgensem; & laus eius.
3. Quomodo Rimbertus puer à S. Ansgario ascitus, & ad instruendum datus sit.
4. Quomodo Rimbertus adolescens meditari mortem instituerit.
5. S. Ansgarius Rimbertum ex diuinâ reuelatione sibi familiarissimum reddit.
6. Quomodo S. Ansgarius Discipulo suo Rimberto amorem suum patefecerit; & à Deo obtinuerit, vt scieret, ipsos in vita eterna non separandos, sed consortium premiorum habituros.
7. Procuratoris S. Ansgarij de S. Rimberto Visio, eiusque explicatio.
8. Visio S. Rimberti de Arnulfo Presbytero, huius querela, & per illius abstinentiam liberatio.
9. S. Rimbertus est admodum ille familiaris Discipulus & Frater S. Ansgarij, de quo sæpè mentio est.
10. S.

10. S. Ansgarij morituri testimonium de S. Rimberto, cum de successore eius quareretur.
11. S. Rimbertus Archi-Episcopus eligitur, & consecratur.
12. S. Rimbertus vouerat, post mortem S. Ansgarij Monachus fieri, & fit etiam, iam ordinatus Archi-Episcopus.
13. Quomodo S. Rimbertus vigilias & Ieiunia obseruauit.
14. De cura pauperum & eleemosynis S. Rimberti.
15. Diligentia eius & assiduitas in predicando uerbum Dei.
16. Epistola S. Rimberti ad quasdam uirgines Moniales.
17. Quomodo Legationi sua ad Gentes & ipse & per suos satisfecerit.
18. Quomodo captiuos redemerit.
19. Quomodo captiuam Sanctimoniam liberauerit.
20. Quomodo S. Rimbertus mansuetus simul & seuerus fuerit.
21. De Miraculis S. Rimberti, corporalibus & Spiritualibus.
22. S. Rimbertus constituit sibi Adalgarium in Coadiutorium & successorem.
23. S. Rimbertus nunciat instantem mortem suam, ex presagij, & una Visione mira quam habuerat.
24. Aegritudo, pietas, & mors S. Rimberti.
25. Locus sepulturae S. Rimberti, & prioris visionis explicatio.
26. Miraculum ad sepulcrum S. Rimberti.
27. Subscriptiones Episcoporum.

Incipit

Prologus in Viram Sancti Rimberti
Episcopi & confes-
soris.

Scripturi Vitam cum omni semper ve-
neratione memorandi Rimberti, Pon-
tificis, & quæ officij eius primitus occasio
fuerit, aut quem ad hoc institutorem vel
conuersationis præfectum habuerit, seu
qualiter ad hoc electus deinceps vixeris,
in quantum hæc comperimus, fideliter e-
narramus.

Incipit Vita ipsius.

CAPVT I.

Proposium Ludovici Imperatoris patris sui Karoli
Magni pia instituta continuandi & con-
summandi.



Vm Imperator HLudovvicus Re-
gni Francorum Monarchiam te-
neret, auctori sublimationis suæ
Deo talem deuotè vicem redde-
re curauit, vt Ecclesiæ Dei in Re-
gno eius constitutæ decenti vigore proficeret.
Seruorum quoque & Ancillarum Dei status,
cum honoris incremento, latiùs exeresceret.
His eius assiduis meditationibus, ex diuinâ
inspiratione, subintravit etiam memoria,
qualiter Serenissimus pater suus Karolus co-
gnomento Magnus, Gentem Saxonum eô-

I

tenus in

tenus infidelem ad fidem Christi conuerterit, vsque adhuc ordinatis per ipsam Prouinciam sufficienti numero episcopis, & Sedi- bus eorum prouidè distributis extremam ad plagam Aquilonarem eiusdem Prouinciæ partem ad hoc reseruauerit, vt ibidem Archi- Episcopalis constitueretur Sedes, vnde præ- dicatio Verbi Dei finitimis fieret populis, Sueonum, Danorum, Norueorum, Fariæ, Gronlandan, Islandan, Scriduundan, Slauo- rum, nec non omnium Septentrionalium & Orientalium nationum quocunque modo nominatarum, qui paganis adhuc erroribus inuoluuntur.

CAPVT II.

*Ludouicus Imperator facit S. Ansgarium ordinari
Archi-Episcopum Hamburgensem;
& laus eius.*

Res ad hoc opus constructa est tantum & dedicata Hammaburgensis Ecclesia in confinio Danorum & Slauorum, in extre- mis videlicet partibus Saxonum inter eos qui dicuntur Nordalbingi, & vnà cum incolis lo- corum eadem Ecclesia inssu eiusdem gloriosi Imperatoris Karoli ad gubernandum est Presbyteris commissa, donec opportuno tem- pore deputatis prius ad locum Episcopali- bus sufficientijs Archi-Episcopum faceret i- bidem consecrari. Ipso autem ante huius ef- fectum voti ex hac vitâ sublato, pijs- simus fi- lius eius

lius eius iam dictus HLudovicus cum fidelibus suis hanc eius intentionem retractans Ansgarium summæ Sanctitatis virum vt pater decreuerat, priuilegij Archi-Episcopalis, & ordine & nomine sublimari, & iam dictæ nouellæ Ecclesiæ rudibusque adhuc in fide populis Rectorem, ac Gentibus vt dictum est necdum fidelibus Erogatorem Verbi diuini fecerat ordinari. Cuius à pueritia in Dei timore conuersationem, vel cum ætatis processu virtutum incrementa, vt quantis indicijs diuinitus præmonstratum sit Pontificatus & prædicationis eius officium, & quomodo per Sedis Apostolicæ priuilegia eius sit omnis causa munita, studiumque eius & profectum in lucrands Deo animabus, quas vel in fide roborare, vel de paganismo ad Christianitatem producere cotidie satagebat, quisquis scire cupit, legat libellum vitæ eius, & quantæ Sanctitatis vir ipse fuerit perpendet. Nos nunc de eius Sanctitatis imitatore simul & dignitatis successore Rimberto scripturi, qualiter primò ei cognitus sit & consequenter ascitus hinc iam sequi incipiamus.

*Citatus
liber vitæ
S. Ansgarij
& post sapiens.*

CAPVT III.

Quomodo Rimbertus puer à S. Ansgario ascitus, & ad instituendum datus sit.

CVM iam dictæ nouiter institutæ Ham-
maburgensis Ecclesiæ termini essent
angusti, & ad tantum officium quod Epi-
scopo

scopo eius iniunctum diximus, sumtus exiliius pertinentijs collecti non sufficerent, ipsosque etiam qui prouenire possent reditus, frequens hostilis irruptio diriperet, ne per hoc vir Dei impediretur à prædicationis officio, quod in gestis eius Legatio ad Gentes vocari solet, memoratus Imperator HLudovvicus quandam in Gallia cellã, Turholt vocatam, eidem Legationi tradidit perpetuò seruituram. Quodam autem tempore Domnus Pontifex ibidem degens, aspexit quosdam pueros ad Ecclesiam cum ioco & inanibus festinare discursibus: quorum quidam inter ceteros penè minimus grauitè incedens, & pueriles leuitates sollicitè deuitans, orationem cum reuerentia & timore peregit, surgensque signo Crucis frontem muniuit, & quali maturioris esset ætatis suam per omnia continentiam exhibuit. Animaduertit ergo vir Dei sacram religiosi pueri infantiam, diuinæ iam seruitutis amore flagrasse, accitisque ad se parentibus eius, & nomen pueri quòd Rimberty vocaretur, edidicit, & consensu eorum accepto, tonsuram ei & Ecclesiasticum habitum imposuit. Sicque eum ibidem paternã sollicitudinè commendans, studiosè erudire præcepit: paucisque diebus ibi transactis inde discessit, & suscepti Pastoralis officij, suæque ad Gentes Legationis instanter operam egit.

*Pietas &
laus pueri
Rimberty.*

CAP.

CAPVT IV.

Quomodo Rimbertus adulescens meditari mortem instituerit.

Posthæc puer iam Deo dilectus magis magisque in grauitate proficiens & discendis liberabilibus disciplinis ardentè instabat, & inter hæc orationibus cæterisque bonarum rerum occupationibus assuetus, in paucis annis omni maturitate & scientiæ & virtutum perfectus enituit. Et iam tunc iuxta Psalmistam concaluit cor eius intra ipsum, & in meditatione eius exarsit ignis, inueniente cupiens quid ei in hac vita consistenti exequi maximè prodesset. Cui talia meditati occurrit iuxta quendam Sapientem, primam Philosophiæ definitionem meditationem esse mortis, idque toto pectore hausit, vt omni vitæ suæ tempore hanc summam sapientiæ consequi mereretur, quatinus tempore mortis suæ de neglectu præmeditationis eius non contristari, sed potius per obseruationem Scripturæ monentis ac dicentis: in omnibus operibus tuis memorare nouissima tua & in æternum non peccabis; quantum humanæ conditioni possibile esset, de peccatorum vel cautela vel remissione securus latificare mereretur.

Plato.

CAPVT V.

S. Ansgarius Rimbertum ex diuina reuelatione sibi familiarissimum reddit.

I 3

Veneran-

Venerandus igitur Præful, qui eum diuino mancipauit Seruitio, sicut in gestis vitæ eius legitur, quæ illi ventura vel ab ipso gerenda erant, penè omnia vel per somnium vel per intimam reuelationē in mente prænoscere & præordinare solebat. Quæ autem ipsa fuerit intima in mente reuelatio scriptores vitæ eius tale quid esse arbitrantur, quale in Actibus Apostolorum sæpius replicatur: Dixit autem Spiritus illi, vel illi Discipulo. Vnde non est diffidendum, quòd vitæ Dei non ex euentu, sed diuinæ ammonitionis attactu, quem occultiori sensu vt pote vitæ spiritualis in anima percipere solebat: hunc felicem de quo loquimur puerum cum tantæ paternitatis affectu diuinis asciuerit ministerijs, quin potius in tenore conuersationis & modo quo semper deinceps apud illum tractatus & habitus est, verisimile videtur, quòd euidenter à Deo illi sit reuelatum, quia successor illi in Episcopatu futurus fuisset. Nam cum primò in discendis artibus & disciplinis scholaribus districtio Magistrorum ei remitteretur, quod vsitatâ locutione egressum de schola dicimus, mox eum Dominus Episcopus indiuisibilem suæ Legationis comitem esse constituit. Venientemque de præfato in quo eum nutriendum commendauit Monasteriolo cum gaudio suscepit, consciūque suorum in omnibus permiserat esse gestorum, quibus ipse Deo cum omni pietate
suis

sive occultè sive manifestè famulabatur.

CAPVT VI.

Quomodo S. Ansgarius Discipulo suo Rimberto amore suum patefecerit; & à Deo obtinuerit, ve sciret, ipsos in vitâ aternâ non separandos, sed consortium præmiorum habituros.

DEnique cùm quadam die iuxta morem simul assisterent ad orationem, iamque supplicatione finitâ egredi de Ecclesia pararent, quasi secretioris gratiæ munus in Discipulo Pontifex agnoscens, eum his verbis alloquitur: Oportet te, inquit, ô Fili Rimberte, semper illi gratias agere, qui de turbidis seculi fluctibus ad portum quietis te vocauit, ad quem quia video te indubitanter animum applicasse, fateor amoris tui me affectu flagrare, eandemque dilectionem finetenus ex mea parte circa te durare non dubites. Cui ille respondens, indignus sum, inquit, Domine tantâ gratiâ tuâ: quia tamen hanc in me ostendis clementiam, meritis tuis apud Deum mihi obtineri depono, vt in futura vita præmiorum tuorum consortium adipiscar. Tunc Sanctus Episcopus cuius mentem gratiâ Dei sæpius illustrari diximus ad prænoscentia quæ illi futura essent, his verbis dignissimi Rimberti, nullum quidem ad præsens dedit responsum, tertiâ verò die transactâ ipso iam sollicitudine cogitationum fatigato, quare scilicet ad hanc petitionem suam

retinerit Episcopus talem ei reddidit consolationem: Iam, inquit, obtinui à Domino, ut in futuro seculo sicut petisti ab inuicem non separemur; ubi ita beatitudinis æternæ participes erimus, ne nostrâ nos virtute ad hanc pertingere posse præsumamus, quod est reatus superbiæ, per quam ceciderunt qui operantur iniquitatem, nec rursus desidiâ torpentes obliuiscamur quod dicitur: in Deo faciemus virtutem, sed cotidie studeamus, ut bonum opus sicut ammonet Beatus Gregorius habeatur nobis in voluntate; ac sic consequenter confidamus, quia iuxta eundem Doctorem ex adiutorio diuino erit in perfectione. Si quem autem mouet hanc trium dierum dilationem ad hoc responsum fecisse Episcopum, meminerit nos prædixisse, mentem eius à gratiâ Dei ad prænoscenda futura sapius illuminari, de quo tamen his ipsis quæ subiecta sunt verbis in vita eius ita scriptum habetur. Ad omnia ergo quæ fortè præcipua definire debebat spacium cogitandi habere voluit, nec quicquid timere disponebat, antequam gratiâ Dei illustratus, ipse in mente sua sentiret quid melius esset. Sicq; supernâ visitatione certificatur in mente sine cunctatione quæ agenda erant disponebat. Hæc de vita eius idoneus inseruisse Lector intelligat, ut ex hoc testimonio comprobaretur, nihil eum ad petitionem huius Sanctissimi Discipuli sui Rimberti respondisse, nisi quod in hoc tridui spacio menti eius Spiritus Sanctus

*Pro. in
vita esse.*

Caput 5.

Sanctus

Sanctus infudit; iuxta sententiam quam etiam
superius de Actibus Apostolorum protulimus.

CAPVT VII.

*Procuratoris S. Ansgarj de S. Rimberto Visio;
eiusque explicatio.*

Accedit etiam ad præsagium virtutum
Beati viri visio quædam de ipso reue-
lata Procuratori Antistitis, primâ mox no-
cte aduentus eius Hammaburgum, cum ipse
adhuc in prima ætate adolescentiæ fuisset.
Videbatur enim eidem Procuratori, conspe-
xisse seipsum Rimbertum sedisse in fastigio O-
ratorij, signumque Ecclesiæ vnum quod nos
Cloccam vocamus in cælo apparuisse, à quo
ligamen lineum vt assolet in modum funis de-
missum vsque ad ipsum dependeret Rimber-
tum, per quod ipse idem signû hilariter traxis-
se, & sono eius dulciter delectatus esse videba-
tur. Cui somnio congruâ ex diuinis Scripturis
interpretationem repetimus. Præcipitur Mo-
si à Domino, vt inter alia vestis Sacerdotalis
mystica indumenta hæc etiam fiant: Deorsum,
inquit, ad pedes eiusdê tunicæ per circuitum
quasi mala punica facies ex Hyacintho & pur-
pura & cocco bistincto, & vt in sequentibus
inuenitur ex bysso retorta, mixtis in medio
tintinnabulis. Quare autem hic tintinnabu-
la adiungi præcepta sint, inferius ostenditur:
vt audiatur, inquit, sonitus quando ingreditur
Pontifex Sanctuarium in conspectu Domini,

I s

& non

*Ipsa Visio.**Explicatio
Visionis.*

M. D.

& non moriatur. Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, se de eo sonitus non audiatur: quia iram contra se occulti iudicis exigit, si sine prædicationis sonitu incedit. Quia igitur futurum erat in sommo Ecclesiæ gradu conscenso, vir Domini ornamentis spiritualibus eniteret, vt etiam prædicationis officium insigniter egisse probaretur, rectè in fastigio Templi, quod significat apicem Pontificalem cum doctrinæ suauissimo & cœlitus attracto sonitu ad conuocandam Seruitio diuino sacram Christi plebem sedisse videbatur. Hoc enim in huius ostensione visionis personans attractu eius signum cœleste significare potest, quod in veste Pontificis in tinnabula monstrare probantur. Qualiter etiam cætera quæ de scriptura sacra proposuimus Sacerdotalis habitus ornamenta spiritualiter in sese semper exhibuerit ad profectum simul & imitationem legentibus exponere iudicauimus. Malis vtique punicis utebatur, in quibus multa interiùs grana vno foris cortice teguntur: quia ipse semper multifariam virtutum operationem vno Caritatis munimine vndique versum rectam gestabat. Hæc autem mala punica ex purpura & hyacintho & coccobincto & bysso retorta erant, quæ cuncta illi aptissimè conueniunt: Omni enim desiderio semper quærebat cœlestia, quæ per hyacinthum significantur, pro Christi nomine vsque ad Marty-

Martyrium paratus, quod intelligitur in purpura, amore Dei & proximi flagrans, quod per coccum bistinctum exprimitur. Et sicut byssus de terra eruta longo exercitio, siccandi, tundendi, purgandi, coquendi, & nendi, gramineum solet perdere, & candidum in se recipere colorem: ita ipse cum magno continentiae labore quasi nativum exsudans humorem, & decorem dignæ Deo puritatis, solerti ieiuniorum & vigiliarum & orationum & lectionis patientiæ & humilitatis instantiâ peruenit. Quibus omnibus tintinnabula habuit permixta: quia rarò aliud ab illo quàm prædictarum virtutum suauissimus sonitus audiebatur, qui rursus operum eius sublimitate audientium mentibus commendabatur; sicut & sequens de illo huius opusculi textus manifestius ostendet.

CAPVT VIII.

Visio S. Rimberti de Arnolfo Presbytero, huius querela & per illius abstinentiam liberatio.

CVM adhuc esset in obsequio decessoris sui Domni Ansgarij, apparuit ei Presbyter Arnulfus iam diu defunctus, & percontanti de eius causa in alterius seculi vita dolenter respondit: Ego, inquit, dum adhuc in carne essem negligenter de animæ meæ agebam salute, grauitatem personæ meæ competentem non seruans, ocio sæpius vacans, & alijs

*Querela
dudum iam
morsui pres-
bytero At-
nisi.*

& aliquando etiam in dicto ieiunio carnem manducans, aliaque similiter interdicta in esca & potu frequenter usurpans: pro talibus commissis indignus sui hactenus ad præsentiam Dei venire; Sed si tua, ait, fraternitas pane & sale & aquâ contenta, à cæteris victualibus abstinenciam quadraginta diebus pro me facere vellet, crederem me per Dei misericordiam ab huius repulsionis meæ sententiâ seu pœnâ liberari. Cui cum ipse ut ei videbatur ita se facturum esse polliceretur, experges factus de somno, mox ut Episcopum alloqui potuit, Visionem ei omnem exposuit. Accepto que ab eo consilio, toto quadraginta dierum spacio nullo alio cibo vel potu est usus, nisi pane tantum & aquâ. Eodem tempore tanto dentium dolore vexabatur, ut ipsis sibi panem ad reficiendum commoli sustinere non posset: quamobrem ipsum panem comminuatim terendo seu manibus confricando in ipsam aquam commiscebat, & ad leuamen dentium quodammodo instar pultis emollebat. In quo etiam ad augmentum abstinentiæ, ea quæ in simplici decoctione panis esse possent plurimum defecerunt, & vis scilicet alimenti, & suauitas ac delectatio saporis. Expletis autem diebus istius abstinentiæ, ipse Presbyter pro quo hæc agebantur, per visum apparuit cuidam fœminæ, quæ multis diebus paralytica iacebat, nomine Helahyvih; cui longa quidem infirmitas membra

S. Rimberti pro ipso abstinentia.

Arnulfus presby. aparet piam iudam fœmina,

membra grauauit, sed tamen ut de quodam
 Beatus Gregorius dicit, ipsa infirmitas ea-
 dem membra à bono opete non ligauit. Co-
 tidie enim se ad Ecclesiam deportari faciens,
 uerbum uitæ ibidem delectabatur audire,
 Hymnisque & Laudibus prout potuit die
 noctuque uacare. Huic ut dictum est per ui-
 sum apparens Presbyter memoratus, famulo
 Dei Rimberto gratias referri petiuit de par-
 simonia pro eius saluatione exacta, quam &
 intantum sibi profecisse mandauit, ut abne-
 gatum tibi prius ad conspectum Dei aces-
 sum & aulae cœlestis introitum per hanc
 condonatum constaret. Ipse uero Rimbertus
 inter eos, inquit, ascribetur, de quibus dici-
 tur: Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in
 arundinetis, discurrunt; & de quibus Psal-
 mista ait: Ibunt de uirtute in uirtutem. Istius-
 modi Visionibus uir Dei nil unquam animo
 extolli solebat, sed per humilitatis tutissimam
 semper uiam incedens ita quodammodo co-
 tidie uirtutum gradus ascendit, ut sæpè di-
 ctum semper attendere uideretur Beatum
 Gregorium, dicentem: Unusquisque uestrum,
 Fratres, magnus esse studeat; sed tamen ma-
 gnum se esse quodammodo nesciat, ne dum
 sibi magnitudinem arroganter tri-
 buit, amittat.

*Helab-
 v. vii; sequē
 liberatum
 nunciat.*

CAP.

*S. Rimberrus est admodum ille familiaris Discipulus
& Frater S. Ansgarij, de quo sæpè men-
tio est.*

*S. Rim-
bertus edi-
dit vitam S.
Ansgarij.*

*Caput 34.
in fine.*

QVandiu ergo fuit in corpore vir Do-
mni Ansgarius, iste Seruus Dei Rim-
bertus præ cunctis familiaris illi in omnibus
adesse solebat, de quo aliquotiens nobis in
hoc opusculo mentio incidit, & libellus ge-
storum præfati Pontificis ab ipso Rimberto
alioque condiscipulo eius editus testatur. In
quo videlicet libro vbiunque commemorã-
tio fit cuiusdam fidissimi Discipuli eius, quòd
frequenter ibi Lector inueniet, ipsum sciat
fuisse Rimberrum: sed quia vt diximus ipse
cum alio quodam editor eorundem exitit
gestorum, idcirco veritatem rei, suppresso
nomine suo, exprimere voluit, ne de se fa-
miliariorem gratiam iactanter proferre vi-
deretur. Sic enim & Beatus Euangelista Io-
hannes in Euangelio suo fecit, vbi suam sem-
per personam maluit indicijs rerum acciden-
tium, quàm proprio designare vocabulo.
Quatenus autem in hoc deuotionis loco cum
Episcopo familiariter Sanctus vir Rimber-
tus perseuerãrit, ex verbis præfati libelli co-
gnoscitur, quibus de transitu Domni Epi-
scopi ita commemoratur: Perceptã, inquit,
Dominici Corporis & Sanguinis Commu-
nionẽ, Sanctus Pontifex Dominum depre-
cabatur,

cabatur, ut quicumque in eum quoquomodo peccasset, diuina hoc ei pietas remitteret; Deinde versiculos istos cepit frequentius repetere; Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Domine, Et, Deus propitius esto mihi peccatori, Et, In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Cumque hæc sæpius repeteret, & frequenti anhelitu iam ea frequentare non posset, cuidam Fratri præcepit, ut hæc vice illius frequentando caneret. Sicque oculis in cælum intentis Domini gratiæ commendatum spiritum exhalauit. Hic ergo quem vice sua verba orationis pro se frequentare præcepit, Rimbertus fuit, cui in loquelæ suæ defectu voti sui verba commendans Episcopus, per eum se compensare credidit, quicquid ipse minus orationum iam moriens peragere posset; quoniam & propter vitæ eius meritum pro se illum exaudiri non dubitauit, & quod ille fecit, non discreuit ab eo quod à seipso factum fuisset, quia cor vnum & anima vna, vnus spiritus & vna fides, erat semper in eis.

CAPVT X.

S. Ansgarij morituri testimonium de S. Rimberto, cum de successore eius quæreretur.

DEnique cum in infirmitate ipsa quâ de hac vitâ migravit, consilium quæreretur

seretur

retur ab eodem Domino Ansgario de succel-
 fore eius eligendo, & quidam etiam de
 Rimberto quid ei videretur inquirerent, re-
 spondisse fertur: quòd hoc sui non fuerit
 ministerij decernere, quia forsitan ipse in
 Episcopatu multorum animos offensos ha-
 beret, quod emendare magis debuisset, quàm
 per hoc motum ipsum animorum augere,
 quòd ipse talem ad successionem personam
 denominaret, quæ fortassis incommoditate
 suâ grauarer subiectos, & amarae fierent pro-
 pter hoc contra ipsum querimoniae. De me-
 ritis tamen, inquit, Rimberti sciatur, quia
 dignior ipse Archi-Episcopali, quàm ego
 Subdiaconatus officio. Hæc de se magnæ
 humilitatis intentione Sanctus profecutus
 est Episcopus, tanquam verus obseruator
 eius, quam & ipse olim in professione ha-
 buit Monachorum Regulæ, dicentis: Septi-
 mus, inquit, humilitatis gradus est, si non
 solum omnibus se inferiorem suâ linguâ pro-
 nunciet Monachus, verum etiam intimo
 cordis credat affectu, humilians se & dicens
 cum Propheta: Ego autem sum vermis &
 non homo. Solent enim Sancti viri cum
 fortia agunt, de semetipsis vilia sentire; Iu-
 xta quod de semetipso Dauid coram Arca
 Domini saltando Regni sui potentiam de-
 spiciens dixit: Ludam & vilior fiam plus-
 quàm factus sum, & ero humilis in oculis
 meis, de quo & Apostolus ammonet, dicens:
 Implete

*S. Ansga-
 rius non vo-
 luit sibi suc-
 cessorum no-
 minare.*

*Commen-
 datio hu-
 militatis S.
 Ansgarij.*

Implete gaudium meum, vt idem sapiatis eandem caritatem habentes, vnanimes idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitantes. Quorum prius, hoc est, Prophetæ testimonium Beatus vir Ansgarius, ita in se custodire solebat, vt de semetipso intus humilia sentiens honorem exterius non requireret, quasi dicens: Ludam & vilior fiam; nec rursus per hoc quod vilem se exterius præbuit interius intumesceret, implendo potius quod sequitur: & ero humilis in oculis meis, id est, qualem me exterius despiciens exhibeo, talem me interius attendo. Qua despectus sui intentione impleuit etiam quod de Apostolo proposuimus; vt omni contentione & inani gloriâ carens, per humilitatem sibi alios superiores arbitraretur: vnde & superius descriptum, potioris quàm ipse esset meriti Beato viro Rimberto tantopere dedit testimonium. Sed quanquam ipse humilitatis causâ de sese talia dixerit, nostrum tamen non est, quemlibet eorum alteri præponere, sed æquales fuisse meritis credere, quos & vnius fidei deuotio & eiusdem officij licet diuersis temporibus administratio commendat æqualiter.

S. Rimbertus & S. Ansgarius nobis debent haberi patres.

CAPVT XI.

S. Rimbertus Archi-Episcopus eligitur, & cōsecratur.

Quanquam igitur sicut nunc diximus
 K Sanctus

*S. Ansga-
rius mori-
urus pate-
facit secre-
tum suum
S. Rimberto,
de ipso futu-
ro Arch-
Episcopo.*

Sanctus Pontifex non libenter alijs, pro of-
fensâ eorum vitandâ, de successuro sibi ali-
quid referre voluisset, ne suam tamen penè
in omnibus conscium hac gratiâ in fine de-
fraudaret, triduo antè obitus sui diem ape-
ruit secretum suum viro Dei Rimberto, quòd
post se deberet ad Pontificatus apicem pro-
moueri. Tum ille reniri cœpit ad tantum
ministerium, nec viribus nec meritis se ido-
neum esse proclamans. Cui Sanctus Episco-
pus Dei dispositionem esse commemorans
quod ipsi prædixit, competentes ammoni-
tiones adiunxit, quòd suam voluntatem ad
diuinæ dispositionis iudicium inflectere de-
beret, iuxta illud Beati Thomæ Domino di-
centis: Dominus meus es tu, & ego Seruus
tuus, fiat voluntas tua. Adhæc glorioso Rim-
berto reniti vel contraire constantia defe-
cit, quando Episcopum diuinitus hæc acce-
pisse sciebat. Nec vlla ambiguitas fuit Clero
vel populo inter plures de electione, sed
iplo mox die depositionis Domni Ansgarij
Rimbertum omnes concorditer elegerunt.
Cum cuius concordie pacto, ad gloriosum
tunc temporis Regem HLudovicum ad-
duxerunt cum viri Venerabiles, Thiadricus
Mindensis Ecclesiæ Episcopus, & Adalga-
rius Abbas Monasterij nouæ Corbeix: sus-
ceptusque ab eo honorificè, cum Pontifi-
calis baculi iuxta morem commendatione
Episcopatus est sortitus dominium. In Char-

*Sanctus
Rimbertus
eligitur.*

tis at-

tis autem Apostolicorum Romanæ Sedis
 Pontificum, à quibus priuilegium Archi-E-
 piscopale sancitur Sedi quam tunc ipse sus-
 cepit, etiam hoc continetur; vt quia pro-
 pter nouellam eiusdem Sedis institutionem,
 & necdum conuersos ad fidem populos Suf-
 fraganei non habentur Episcopi, à quibus
 decedente vno alter Archi-Episcopus conse-
 craretur, Palatinæ interim prouidentia suc-
 cedentium per tempora Pontificum conse-
 cratio sit commissa, donec numerus Suffra-
 ganeorum Episcoporum canonicè eum conse-
 crare debentium ex Gentibus suppleatur.
 Cum huius ergo ad ordinandum eum teno-
 ris insinuatione Venerabilem Rimbertum
 gloriosus Rex direxit ad Luidbertum Mo-
 gotientem Archi-Episcopum, à quo iussa
 eius ita est consecratus, vt prouidè actum sit,
 quatinus in adiutorium consecrationis, non
 vnus Metropolis, sed duarum conuenirent
 Suffraganei, Luidhardus videlicet Pader-
 burnensis Episcopus, pertinens ad Magun-
 tiam, & præfatus Thiadricus Suffraganeus
 Archi-Episcopi Coloniensis. Quos ita per-
 mixtim adesse idcirco placuit, vt tam huius
 consecrationis actio, quàm etiam Domni
 Ansgarij, primitus ad Sedem ipsam simili
 modo facta ordinatio, in signum essent fu-
 turis temporibus, quòd ad nullam nomina-
 tim Condiocesitatem quorumcunq; Episco-
 porum, pertineat ad hanc Sedem consecrare

*Consecra-
 tur à diuer-
 sis.*

Episcopum, sed tantum ut diximus Palatinæ hoc commissum sit, prudentiæ, donec consecrantium numerus ex Gentibus suppleatur.

CAPVT XII.

S. Rimbertus vouerat, post mortem S. Ansgarij Monachus fieri, & sit etiam, iam ordinatus Archi-Episcopus.

*Fortè pro-
fessionis.*

*Ada'ga-
rius Frater
Corbeiensis
S. Rimb. rto
adiungitur
moderator
Monastica
Regala.*

H Abuit autem hic Sanctissimus vir olim hoc votum de se factum, ut post discessum Domni Ansgarij monachicum mox & propositum acciperet & habitum. Vnde cum consilio consecrantium se Pontificum, mox post ordinationem ad Monasterium nouæ Corbeix properans, vestem quidem illius promissionis ex integro suscepit, conuersationis autem illius promissionem ita fecit, ut conuersationem suam, & stabilitatem morum suorum, & obedientiam secundum Regulam Sancti Benedicti exhiberet, in quantum labor & occupatio suscepti Pontificatus permetterent. Et ut in huius promissionis effectu veraciùs assuesceret, aliquem de Fratibus eiusdem Monasterij sibi præstari rogabat, cum quo, quia ipsi in Monasterio esse non licuit, solatium haberet assiduæ inde meditationis & vsus continendi se, iuxta moderamen regulare quod promisit. Ad quod ei deputari placuit insignem conuersatione virum, gradu Diaconum

conum, nomine Adalgarium, germanum videlicet & æquiuocum Abbatis eiusdem Monasterij, de quo supra diximus. Hic vir venerabilis in conuersationis eius imitatione simul & successionis dignitate adhuc hodie superest, cum multis alijs attestans, quia Sanctus Pontifex, cuius vitam scribimus, nihil ex occasione curæ Pastoralis de Monachica perfectione perdidit, adeo, vt nullus etiam intra ipsa Monasteria viuentium, instrumenta bonorum operum, quæ eorum Regula commemorat, æquè vt ipse obseruauerit. Cuius facta quidem vix à nobis explicari possunt; sed cotidianam eius cum Deo conuersationem, & animum cælo semper intentum, nostræ tenuitas scientiæ nequaquam edicere vel saltem perpendere valet. Graue ducebat vllum tempus vacuum absque opere Dei transigere; sed orationi lectio, lectio semper apud illū successit oratio. Et si aliquid accessisset, quod eum ab oratione impedire videretur, semper tamen quæ iusta sunt agens, sine intermissione sentiendus est orasse, vt Beatus docet Augustinus: Illi, inquit, qui in diuino versatur officio, omnia gesta eius dictaque pro oratione reputantur.

CAPVT XIII.

Quomodo S. Rimberty vigilias & Ieiunia obseruauit.

Vigiliarum vsum moderanter agebat, abstinentiæ modum ita exercuit, vt

K 3

semper

*Hic con-
te de .Seri-
ptore vita S
Rimberty.*

*foris, sa-
turitatem.*

*Vsitarum
ieiuniorum
vitium.*

semper illi essent cotidiana ieiunia, & refe-
ctio sanitatem fugiens. In quo videlicet hoc
attendebat, vt iuxta Beatum Hieronymum
ita corporis frangeret appetitum, vt tamen
ad lectiones & Psalmodym atque ad Alta-
ris ac Pontificatus sui officium, vires ei non
deficerent. Nihil enim prodest, vt ait idem
Hieronymus, biduo triduoque vacuum por-
tare ventrem, si pariter obruatur, si compense-
tur saturitate ieiunium: Ilico enim mens re-
pleta torpescit, & irrigata humus spinas libi-
dinum generat. Quod vir Dei, vt diximus,
in se cauere volens, moderamen ieiunij ita
custodiuit, vt Dominus in Euangelio Iudæos
arguens, quòd nec Iohannem ieiunantem,
nec ipsum manducantem & bibentem susci-
perent, subiecit dicens: Et iustificata est sa-
pientia à filijs suis: ostendens per hoc filios
sapientiæ intelligere, nec in abstinendo nec
in manducando esse iustitiam, sed in æqua-
nimitate tolerandi inopiam, & temperan-
tiam per abundantiam non se corrumpendi,
atque opportunè sumendi vel non sumendi
ea, quorum non vsus, sed concupiscentia
reprehendenda est.

CAPVT XIV.

De curâ pauperum & eleëmofynis S. Rimerici.

QVia verò etiam ad vsus & sustentatio-
nes pauperum, Beatæ memoriæ deces-
sor suus institutum habebat, in nullo hoc
ipse dis-

ipse discit, sed omnem curam & diligentiam adhibebat, ut omnia ad id statuta nullum suis temporibus caperent detrimentum; sed potius suo cotidie studio his aliquid adderetur. Erat enim pro indigentium leuamine Hospitale constitutum in Episcopatu eius ad quod tanta subsidiorum sufficientia deputata est, ut nusquam copiosius vel sapientius hoc ipsum procuratum esse sciamus. Sed & extra Episcopatum, ubicunque fuisset, semper constitutos habebat, qui pecuniam in sacellis ad dandum pauperibus gestarent, ipseque ad hoc ipsum in zona sua marsupio cum nummis semper utebatur, ut si quando dispensator eleemosynæ suæ in aduentu egentis deesset, ipse sine mora haberet quod daret. Inerat enim ei sollicitudo, ne quis talium à se sine leuamine abcederet, suisque similia iugiter adhortationem faciens, dicere solebat: Non tardandum est ut cunctis pauperibus succurramus, quia quis sit Christus vel quando ad nos veniat ignoramus.

CAPVT XV.

*Diligentia eius & assiduitas in predicando
verbum Dei.*

INterea iuxta ammonitionem Beati Gregorij, etiam eleemosynam verbi incessanter agens, doctrinæ salutaris studio iugiter instabat, recolens quod idem ait Doctor: Plus esse ut Verbi pabulo victura, in perpetuum mens

*Vtile, li-
ber S. Rim-
berti.*

*Heresi
Monasteriū
Virginum.*

*Sancto
rum in oc-
cultādis &
nominibus
suis humili-
tas.*

uum mens reficiatur, quàm venter moritu-
ræ carnis pane terreno satietur. Huius rei
gratiã excerptum legentibus, Vtile, de libris
Sancti Gregorij fecit & propriã manu con-
scripsit, Epistolasque nonnullas ædificatio-
nis plenas ad diuersos composuit, quarum
vna est ad quandam Dei ancillam in Mo-
nasterio quod dicitur Heresi constitutum,
cæterasque Sorores ibidem in Dei famula-
tu consistentes. Hæc autem famula Dei, de
qua loquimur, neptis erat venerabilis Epis-
copi Luithardi, cuius supra mentionem fe-
cimus, qui se Sancto viro cum omni deuo-
tionis affectu ita deuinxerat, vt non solum
ipse Sanctitatis eius amator existere, verum
etiam omnes ad se quoquo modo pertinen-
tes illi commendare studuerit, præcipuè i-
stam qua loquimur ab infantia Deo obla-
tam, & in virginitate permanentem neptem
suam, quæ & propria deuotione promeruit,
vt vnicam dilectionis suæ filiam, vir Sanctus
eam nominare solitus sit. Quæ licet nomen
suum vitandæ iactantiæ causâ palàm nolit
edici, ipsam tamen ad ædificationem lacris
virginibus, quamuis tacito nomine eius ad-
quam specialiter scripta est, hic ponere de-
creuimus Epistolam, ita se ha-
bentem.

CAP.

CAPVT XVI.

Epistola S. Rimberti ad quasdam virgines
Moniales.

CARISSIMÆ Filia cæterisque virginibus & sponsis Christi Rimbertus, gregis Dei vilis Seruulus in Domino salutem. Frater Adalgarius nuper à vobis rediens, dixit mihi, grauius vos ferre, quòd paruitatis meæ literas rarò suscipiatis. Quod modò mihi emendare cupienti, quid scribere debeam, nihil conuenientius occurrit, quàm vt vos de vestræ Sanctitatis commoneam proposito. Si igitur ad sublimissimam gloriam vultis peruenire, omni virtute incorruptionem corporis ac spiritus excolere debetis. Interioris enim fori ac pabulo puritatis, subministrari necesse est etiam exterioris hominis castitatem, eamque iugiter ad perseuerantiam perpetuæ incorruptionis animari. Illæ namque sunt veræ atque incorruptæ virgines Christi, non quæ metuunt, sed quibus non libet fornicari. Quod donum, si per Dei gratiam adeptas vos senseritis, quantò magnæ estis, vt sacra monet Scriptura, humiliate vos in omnibus, & coram Deo inuenietis gratiam. Eâ enim viâ peruenire debetis ad Christum Dominum & sponsum vestrum, quia ipse dixit: Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Curandum itaque est, vt omni custodiâ mens seruetur à superbiæ tumore.

K 5

*Incorruptio
corporis
& spiritus.*

*Moniales
à superbiâ
caueve de-
bent.*

more. Non enim antè oculos Dei vacuè transvolant cogitationes vestræ: intus ergo videt Deus quod mentem eleuat, & idcirco foris permittit inualescere quod deponat. Hinc quippe per Olee contra Israëlitas dicitur: Spiritus fornicationis in medio eorum, & Dominum non cognouerunt. Qui vt ostenderet, sicut dicit Beatus Gregorius, quòd causa libidinis ex culpâ prorumpat elationis, mox subdidit dicens: Et respondebit arrogantia Israël in faciem eius, ac si diceret: Culpa quæ per elationem mentis in occulto latuit, per carnisluxuriam in aperto respondebit. Proinde per humilitatis custodiam seruanda est munditia castitatis. Si enim spiritus sub Deo premitur, caro illicitè super spiritum non leuatur. Habet quippe spiritus commissum sibi dominum carnis, si tamen sub Domino recognoscit iura legitimæ seruitutis. Nam si auctorem suum superbiendo contemnit iure & à subiecta carne prælium suscipit. Hinc est enim quòd longa continentia repente soluitur, hinc quòd plerumque & vsque ad senium virginitas seruata vitiatur. Quia enim negligitur humilitas cordis, reus iudex respicit etiam integritatem corporis. Et quandoque per apertum malum reprobos annunciat, quos dudum reprobos in occulto tolerabat. Nam qui diu seruatum bonum subitò perdidit, apud semetipsum intus aliud malum tenuit, ex quo aliud subitò

bitò erupit. Ac per hoc omnipotenti Deo etiam tunc alienus extitit, quando se ei per munditiam corporis inhære monstravit. Hæc ergo, Filiæ, non ideò scribo, quòd in vobis quicquam de qualitate superbiæ vel vanæ gloriæ cognouerim, sed quia vos opto in illarum consortio esse, de quibus legitur: Quoniam sequuntur Agnum quocunque iërit. Vbi multos cecidisse doleo, vos cautè ambulare desidero, optoque vt dicat vobis Dominus & sponsus vester: Tota pulcra es amica mea, & macula non est in te. Itaque sequimini hic Agnum in præceptis suis, vt ipso auxiliante illum sequi valeatis in æterna vita, cantando canticum, quod nemo potest dicere nisi chorus virgineus. Hæc pulchrè Beatus Augustinus virgines ammonendo exposuit: Pergite, inquit, Sancti Dei, pueri & puellæ, mares ac fœminæ, celibes & innuptæ, pergite perseueranter in finem. Laudate Dominum dulciùs, quem cogitâstis vberius: sperate feliciùs, cui seruitis instantiùs: amate ardentius, cui placetis attentius. Lumbis accinctis & lucernis ardentibus expectate Dominum, quando veniat à nuptijs. Vos affectetis ad Agni nuptias canticum nouum, quod cantabitis in citharis vestris, vtique tale quale nemo poterit dicere nisi vos. Sic enim vos vidit in Apocalypsi quidam præ cæteris dilectus Agno, qui discumbere super pectus eius solitus erat. Ipse vos vidit duodecies duodena mil.

dena mil.

dena millia Sanctorum citharædorum illibata virginitatis in corpore, inuiolata veritatis in corde. Sequimini Agnum, quia & Agni caro utique virgo. Sequimini eum virginitate cordis & carnis, quocumque ierit. Quid est eum sequi, nisi imitari? de quo Beatus Petrus: Christus, inquit, Iesus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius. Hanc Epistolam ideò hic posuimus, ut legentibus appareat, quantum, sicut ammonet Apostolus, studium habuerit eius quæ secundum pietatem est doctrinæ, & quam potens fuerit in ipsa doctrina etiam alios exhortari.

CAPVT XVII.

Quomodo Legationi suæ ad Gentes & ipse & per suos satisfecerit.

PRæterea Legationis suæ officium, quod ad prædicandum Gentibus Verbum Dei primitus à decessore suo susceptum est, & postmodum sibi successionis iure quasi hæreditarium prouenit, impigrè exsecutus est, ipse quidem per se quoties occupationes aliæ finerent, eidem Legationi insistens, semper autem constitutos habens Presbyteros, per quos & verbum Dei Gentiles audirent, & solatium captiui Christiani haberent, ad Ecclesias inter ipsos paganos constitutas longè ab Ecclesia Sedis suæ, quodque grauissimum erat marinis discrimenibus adeundas.

Quæ

Quæ discrimina ipse frequentius & abundantius sustinens, sæpè tanquam de se testabatur. Apostolus naufragium pertulit, sæpè in proximo erat, vt cum eodè dicere posset, Nocte & die in profundo maris fui. Sed profectò aderat ei Spiritus Sanctus, qui in exterioris hominis corruptione interiorem renouaret de die in diem, & spe futuræ beatitudinis omnia præsentis vitæ aspera deliniret, & grauia reuelaret. Consolabatur enim continua meditatione sermonis Apostolici: Quia non sunt condignæ passionis huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Ac sic quæcunque fierent dura laboranti, mitescere solebant eadem propter Christum sustinenti.

CAPVT XVIII.

Quomodo captiuos redemerit.

AD redemptionem captiuorum cunctis penè quæ habebat expensis, cum multorum adhuc apud paganos detentorum miseriam cernere cogebatur, etiam Altaris vasa ad redemptionem eorum impendere non dubitauit. In quo dum quibusdam, minus sublimiter intelligentibus, non rectè videretur fecisse, quasi ad alios vsus redigeret quæ sacris erant deputata Mysterijs, & à quodam interrogatus fuisset, quare ita faceret? iusta ratione sciscitanti satisfaciens: Non ignoro, inquit, res Ecclesiastici officij dignè esse tractandas,

S. Rimbertus etiã vasa sacra pro captiuis Christianis liberandis impendit.

standas, & sub magna fore obligatione ad hoc opus depositas: Veruntamen plus est apud Deum per hæc subueniri captiuis Christianis in angustiâ constitutis, quam esse possit depositum ista custodiendi. Et si necessitas incubuerit duorum bonorum vnum eligere & alio carere, oportet assumere quod est melius, & relinquere quod habetur inferius: Vnde & ego, ait, cum nullum aliud habeo consilium, non impiè ago, si Christianum, qui filius Dei est, cum thesauris Ecclesiæ redimo: cum & semper inuenire possimus, quod ad vsum sacri sufficiat Ministerij, irreuerabile autem sit, si Christianus in captiuitatis afflictione deficiat.

Ex duobus bonis melius eligendū: sicut ex duobus malis minus

CAPVT XIX.

Quomodo captiuam Sanctimonialem liberauerit.

EXempli autem causâ, vnum de huiusmodi factis commemoramus, in quo non minus in potentia miraculi, quam in opere misericordiæ refulsit. Cum venisset quadam vice ad partes Danorum, vbi Ecclesiam nouellæ Christianitati constructam habebat, in loco qui dicitur Sliasvich, vidit multitudinem Christianorum catenatam trahi captiuam. Inter quas vna Sanctimonialis, vt eminus illum conspexit, cum genu flexione & crebra capitis inclinatione tam illum venerari, quam eius misericordiam pro sua re-

sua redemptione precari videbatur. Et ut eam intelligeret fuisse Christianam, elauatâ alius voce cœpit cantare Psalmos. Episcopus autem miseratione commotus, diuinitus eam adiuuari cum lacrymis orabat. Ad cuius precas mox disrupta est catena de collo eius quæ vincta tenebatur. Ne tamen ipsa auferret, eam inter manus habentes pagani faciliè obtinebant. Tum Sanctus Episcopus anxio de illa motus affectu, tenentibus eam paganis plura diuersi generis precia pro ipsa cœpit offerre. Sed illi nullam conditionem suscipere volebant, nisi suum eis daret equum, quo ad propriam sellam uti solebat. Quod illi facere non detractans, repente disiluit de equo, & cum omni quam ipse ad eum habuit paraturâ pro eadem dedit captiuâ, redemptamque libertate donauit, & quod vellet abire permisit: duplex, ut diximus, per hoc factum de se memoriale laudis relinquens, quod & virtute orationis suæ catenam fregerit, & simul hoc insigne opus misericordiæ demonstrauerit.

CAPVT XX.

Quomodo S. Rimberty mansuetus simul & seuerus fuerit.

PRoinde iuxta præceptum Apostoli, quo Seruum Domini iubet mansuetum esse ad omnes, ita vixit, ut suis temporibus nullus sicut ipse Mosaicum illud assimilauerit, quo vix

Miraculū

quo vir mitissimus super omnes homines fuisse describitur. Aliquoties tamen sine vlllo eiusdem mansuetudinis detrimento, ita inquirendis vel discutiendis causis constans ac fixus in sua sententia mansit, ut à nemine posset in aliud deflecti. Quod autem diximus absque mansuetudinis detrimento hoc fieri, tam veraciter in illo adimpletum est, ut nil vnquam iracundiæ vel commotionis contradicentibus ostenderit, vel verbis asperis contra eos egerit; sed familiaribus colloquijs & delectabili continentia gestu, cunctis sit amabiliter executus, quicquid intendebat. De ea tamen, quæ illi inerat inflexibilitate animi, à quodam familiaribus interrogatus, quæ infra habentur exposuit. Quæcunque, inquit, agere debeo vel omittere, teu de omnibus futuris mihi euentibus, prælagiū semper capio ex visionibus Domini ac decessoris mei Ansgarij. Solet enim mihi ipse apparens in qualitate vultus sui ostendere, qualiter me immiscere debeam rebus agendis, & quicquid de illo sentio, nullam ad hoc exequendum dissimulationem facere possum.

*S. Rimb-
bertus à S.
Ansgario si-
bi apparen-
te sæpius
monetur.*

CAPVT XXI.

De Miraculis S. Rimberti, corporalibus & spiritualibus.

Fertur etiam antiquorum more Sanctorum quædam fecisse Miracula, frequenter videlicet dum iret ad Sueoniam, tempestatem maris orationibus suis sedâsse, cœci

cæci cuiusdam oculos illuminâsse per Confirmationem, quam Episcopali more cum Chrismate sacro in eodem faciebat. Sed & filium quendam Regis dicitur à dæmonio liberâsse: cui etiam affirmationi hoc astipulari videtur, quòd multis astantibus Episcopis clamor ab ore vexati sæpius sonabat: Rimbertum solum inter eos dignè commissum egisse officium, ipsūque sibi esse cruciatui auctor vocis testabatur. Sed quia nostris temporibus, vt dicit Psalmista, defecit Sanctus, & diminutæ sunt veritates à filijs hominum, nec facile accipitur quæque ex modernis viris talia fecisse, sufficiat nos hæcenus comprobâsse, quòd hic vir Domini Sanctitatis apicem conscendit, per eas virtutum species, quas in Euangelio Dominus ad beatitudinem promerendam proponit. Beati, inquit, patiperes spiritu, &c. de octonario virtutum catalogo, quo significatur per resurrectionis gratiam spei nostræ implenda perfectio. Nec miracula illi defuerunt spiritualia, quæ etiam nunc in Ecclesia à fidelibus fieri testatur Beatus Gregorius exponens verba Domini, dicentis: Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur: in nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint non eis nocebit, super ægros manus imponent & benè habebunt. Sed de his singulis expositionem præ-

L

fati Do

fati Doctoris percurrere longum est & non necessarium, cum homilia hæc continens in prompto habeatur, ad quam nos Lectorem mittentes cœptum opus de vita Domni Rimberti consummare debemus.

CAPVT XXII.

S. Rimbertus constituit sibi Adalgarium in Coadiutorem & successorem.

Cvi, cum iam senio grauari cœpisset, etiam continuus pedum dolor ad molestiam ei accessit: vnde apud gloriosum primò Regem HLudovvicum, quo commendante Episcopatum accepit, & postea apud filios eius HLudovvicum & Karolum hoc obtinuit, vt insignis vir Adalgarius, Monachus videlicet de Monasterio nouæ Corbeia, vt supra retulimus, illi præstitus, ita in adiutorium illi confirmaretur, quatinus dum sele quælibet infirmitas præpediret, in ipso haberet solatium circandi Episcopatum, Placita adeundi, & quando exigeretur in expeditionem, vel ad Palatium cum comitatu suo proficiscendi. Nec multò post electionem succedendi sibi in ipso confirmari, & per manus acceptionem hominem Regis illum fieri, & inter Consiliarios eius collocari obtinuit; assentientibus Abbate & Fratribus Monasterij eius, ac sancta Synodo hæc omnia roborante. Posthæc etiam velut expeditior à negocijs secularibus omni instantiâ coti-

tiâ cotidie ampliare satagebat, quicquid boni prius exercuit. Nec diu postea in hac vita duravit, cuius transitus ad Dominum subiuuncto ordine factus esse perhibetur.

CAPVT XXIII.

S. Rimbertus nunciat instantem mortem suam, ex præfagijs, & vna visione mira quam habuerat.

ANno penè integro antè obitus sui diem, quibusdam fidelibus suis secretiùs intimaui, multa sibi ostensa fuisse signa, quibus præsciret se in hac vita non diu mansurum, & quòd eos quibus hæc loquebatur in hac vita ultra non esset visurus: Quædam, inquit, huius rei præfagia mihi venerunt, quæ mihi non licet alijs indicare; Visionem tamen hac nocte mihi ostensam vobis refero, quâ evidentissimè discessum meum præfiguratum esse intelligio. Videbatur enim mihi, quòd in Ecclesiâ quadam muro firmissimo per medium interseptâ, ego ex vna parte muri fuisset, ex altera verò teneretur Dominus & decessor meus Ansgarius; conspexique innumerabilem turbam vtriusque sexus, more quærentium aliquid hac illacque conuerti, nec quicquam ex eo quod quærebant potuisse inueniri: Quibus Dominus Ansgarius, Quid, inquit, quæritis? At illi se annulum meum quæsisse respondentes, audierunt rursus ab Episcopo; vt cessarent

*Visio S.
Rimberti.*

eum quærere, quando ipse secum esset illum habiturus. Hæc dum quibusdam, ut diximus, narraret Dominus Rimbertus, ex hoc multisque alijs indicijs asseruit, se esse certificatum, quod eodem anno de hac vita foret exiturus. Et ut memoria eius audientium animis per verba quæ recedens diceret artius imprimeretur, hoc quod etiam ab eis amari nouerat ammonitiones eis salutare fecit, non mediocriter verbis eius in gratiam ædificationis profluentibus. Posthæc valedicens illis discessit ab eis, nec ulterius, ut ipse prædixit, eum viderunt. Qualiter autem somnium hoc, quod modò protulimus, euidenti effectu in obitu ac depositione eius, ut ipse intellexerat, completum sit, congruè eo loco enarrabimus, quo commemorandum erit, qualiter anima eius ad cælos subleuata sit, & quomodo corpus eius sepulturæ traditum habeatur.

CAPVT XXIV.

Ægrotudo, pietas, & mors S. Rimberti.

DVodecim igitur diebus antè transitum suum perueniens ad Ecclesiam Bremensem, ipso mox die infirmitate correptus est. Cumque per omnes horas infirmitas grauiter cresceret, ipse semper Psalmidijs & Lectionibus sacris intentus, sese ad futurum de hac vita transitum sollicitè præparabat. Et quanquam languoris immanitas corporis

reus viti

reis viribus defectum ingereret, animo tamen semper inuictus Apostolicam prætendebat fortitudinem, de qua dicit: Quando enim infirmor tunc potens sum. Septimo autem obitum die ministerium sacræ Vnctionis cum Oleo sancto ei fieri cœpit, & vnâ cum Communionem Corporis & Sanguinis Domini, vsque in diem animæ exeuntis de corpore hoc salutare remedium omni die percepit. Et cum iam migraturus esset de mundo, conuocatis Presbyteris & vniuersis Fratribus, veniam petiuit de omnibus quecunque fortassis in aliquem illorum peccasset: Et cum ipse vicissim reconciliationem fecisset omnibus Christianis, à quocunque in eum aliquid commissum fuisset, veniamque eis à Domino poposcisset, percepto Corpore & Sanguine Domini sacram animam emisit. Tum verò incredibilis gemitus omnium subsequutus est, maximè pauperum, has inter fletus voces emittentium: Væ nobis Pater Sancte, quomodo iam post te viuemus, tuis elemosynis in victu & vestitu hætenus sustentati? à quo deinceps hæc merebimur? Sed tibi, inquit, Christe supplicamus, vt anima Serui tui sentiat te nunc memorem dictorum tuorum, quibus promittere dignatus es, à te esse remunerandum quicumque vni ex minimis tuis aliquid solatiij in nomine tuo fecisset.

Post Vnctionem sacram septem continuis diebus quotidie Sacram Communionem accepit.

Pauperum super morte eius plangens.

*Locus sepultura S. Rimberti, & prioris
visionis explicatio.**Locus se-
pultura S.
Rimberti.**Explica-
tio Visionis
prioris ca-
ptiui.*

Ipsè autem vir Dei, cùm adhuc viueret, humilitatis intuitu, præcepit ne in Ecclesia sepeliretur: quod præceptum transgredi non audentes Fratres Ecclesiæ illius, sepelierunt eum foris Basilicam prope rumbam Sancti Willehadi extra murum Ecclesiæ Orientalem. Ipsumque sepulcrum postea superstructo, & in honorem Sancti Michaëlis Sanctorumque Martyrum Stephani atque Viri dedicato Oratoriolo, adornauit vir Adalgarius, de quo supra diximus, qui & Sancto viro successit in Pontificatum. Sicque completa est visio supra memorata, de sua & Domni Ansgarij in vna Ecclesia detentione, sed muri medijs interpositione ipsis ab inuicem seiunctis. Est enim præfatum Oratoriolum contiguum antiquæ Ecclesiæ, muro tantùm eius Orientali ex vno in aliud aditum intercludente; & in ipso, vt diximus nouo Oratoriolo Dominus Rimbertus sepultus est, in antiqua verò Ecclesia Dominus Ansgarius requiescit. Et hoc est quod ipse in Visione ipsa dixisse videbatur, quod annulum Domni Rimberti secum habiturus esset, ipso videlicet Domno Rimberto per fidem & operationem bonam perfecto, non longè post cum ipso coniungi debente, tam in vi-

cinitate

cinitate sepulcri, quàm beatæ requiei perceptione; sicut olim ipse diuino spiritu reuelante prædixit. Per annulum quippe fides significatur, quâ nobis imago Dei exprimitur; & quia ipso manus ornari solent, quibus operatio delignatur, rectè per hoc ostenditur, ornamento fidei bonum opus semper inesse debere. Quod quia Dominus Rimbertus in sua conuersatione commissis sibi semper exhibuit, rectè in præfatio mortis eius multitudo plebis annulum eius quæsisse ostensa est: per quod significatum est, tempore mortis eius eos qui illi fuere commissi anxie desiderare, ut adhuc exemplis in illo perspectis perfrui mererentur. Sed hoc iam fieri non posse tempus expetebat requiei eius, quam Episcopus Ansgarius plebem à quærendo annulo compescens significauit, dum eum diceret secum esse habendum.

CAPVT XXVI.

Miraculum ad sepulcrum S. Rimberti.

Suspensa est etiam super sepulcrum eius lampas lignea, ut lumen continuum in ea ibidem haberetur: subtus ipsam verò in superficie sepulcri velamen iacebat expansum, in quo fertur præclarum contigisse Miraculum; quod in quantum ex relatione narrantium, vel memoriâ vel intellectu retinemus, ita gestum esse constat. Contigit quadam nocte conflagrasse eandem lampadem, ac

L 4

primò

primò crebros carbones decidisse ex illa super
velum memoratum, atque illico subsequi e-
tiam casum rotius lampadis, ipsamque su-
pra idem velum totam comburi, absque vl-
là læsione ipsius veli. Quod nulli dubium ef-
se debet ad declaranda merita Serui sui Chri-
stum fecisse; qui cum Patre & Spiritu San-
cto viuit & regnat in æternum.

CAPVT XXVII.

Subscriptiones Episcoporum.

Slepn. Episcopus Scalernoldensis.
Symon Episcopus Halkinodensis.
Torolfus Episcopus Blaseonensis.
Eilbertus Episcopus Farniensis.
Heribertus Episcopus Wibergensis.
Ratolfus Episcopus Selesvicensis.
Cristian Episcopus Arulenses.
Otto Episcopus Ripensis.
Magnus Episcopus Wendilensis.
Adaluardus Episcopus Scarenensis.
Albericus Episcopus Wendilensis.
Willehelmus Episcopus Selandensis.
Ezzo Episcopus Aldenburgensis.
Ecilinus Episcopus Scarenensis.
Syvvardus Episcopus Norvvegensis.
Egino Episcopus Dolboigensis.
Adalbardus Episcopus Sictunensis.
Iohannes Episcopus Bircacensis.
Thiedolfus Episcopus Sictunensis.

APPEN-

APPENDIX

EPISTOLARVM ET DE-
cretorum, Papalium, Imperialium, &
Episcopaliū; pro superioribus il-
lustrandis & confir-
mandis,

Epistola S. Ansgarij.



EN nomine Sanctæ & indiuiduæ
Trinitatis. Ansgarius gratia Dei
Archi-Episcopus, omnibus Sanctæ
Dei Ecclesiæ Præsulibus in
Regno duntaxat Ludovvici Re-
gis commanentibus.

Nosse vos cupio, quia in hoc libello
continetur, qualiter Ebo Rhemensis Archi-
Episcopus diuino afflatus Spiritu, tempori-
bus Domini Ludovvici Imperatoris, cum
consensu ipsius ac penè totius Regni eius
Synodi congregatæ, Romam adiit; ibique à
Venerabili Papa Pascali publicam Euange-
lizandi licentiam in partibus Aquilonis ac-
cepit. Et qualiter postea Ludovvicus Impe-
rator hoc opus sublimauit; seque in omni-
bus largum præbuit & beniuolum, & cæte-
ra quæ huic Legationi contigerunt. Quapro-
pter suppliciter deprecor, vt apud Deum in-
tercedatis, quatenus hæc Legatio crescere
& fructificare mereatur in Domino. Iam e-
nim Christo propitio & apud Danos & a-
pud Sueo-

*Ebo Rhe-
mensis Ar-
chi-Episco-
pus.*

L 5

pud Sueo-

apud Sueones Christi fundata est Ecclesia, & Sacerdotes absque prohibitione proprio funguntur officio. Precor etiam ut has literas in Bibliotheca vestra ad perpetuam memoriam reponi faciatis, & prout locus distauerit tam vos quam successores vestri, ubi utilitatem perspexeritis, notum omnibus istud faciatis. Omnipotens Deus faciat vos omnes huius operis piâ beniuolentiâ participes, & in cœlesti gloria Christi cohæredes.

*Litera
Pascalis
in Biblios
hecis ser-
uanda.*

*Decretum Domini Papæ Pascalis, super mis-
sione Ebonis.*

Pascalis Episcopus Seruus Seruorum Dei; Vniuersis Sanctissimis Fratribus Coëpiscopis, Presbyteris, seu cæteris Ecclesiasticis Ordinibus, gloriosissimisque Principibus, Ducibus, siue magnificis Comitibus, vel cunctis Christianis Dei fidelibus. Cùm religiosissimum constet, curam ac sollicitudinem erga Dominicum gregem, quem diuinâ dispensatione suscepimus gubernandum, atque cœlestia pabula salubri communicatione subministrandum; maximè his qui in com-
pitis & pagis sub principe tenebrarum callidâ persuasionem persistunt, & viam vitæ ignorantes deuij non quæ sursum sunt, sed quæ deorsum stultâ instigatione perquirunt. Sed quia in partibus Aquilonis quædam Gentes consistere, quæ necdum agnitionem Dei habere, nec sacrâ vndâ Baptismatis sunt renati,
sub

sub umbra mortis existere, & magis creaturæ quàm Creatori ignauâ mente seruire cognouimus. Idcirco præsentem Reuerendissimum Fratrem ac C. episcopum nostrum Ebonem Sanctæ Rhemensis Ecclesiæ Archiepiscopum necessarium cum consensu fidelium Dei duximus illis in partibus pro illuminatione veritatis dirigendum. Quatenus auctoritate Beatorum Principum Apostolorum Petri ac Pauli nostrâ fraternâ vice informatus antè corpus & confessionem ipsius Principis Apostolorum Euangelizandi publicâ auctoritate liberam tradidimus in omnibus facultatem: vt verbum vitæ viamque salutis vbique prouideat, & fidei normam cœlesti educatione confirmet, atque Apostolicæ institutionis doctrinam, omni diabolico errore depulso, viua voce corroboret. Et si fortañe ad hoc diuinum pertinens officium aliquid dubium emerferit, ad Sanctam Dei Catholicam atque Apostolicam Romanam Ecclesiam recurrendo, semper ex eius hauriat purissimo fonte latentes, vnde & à cordibus mortalium diuinâ interueniente gratiâ noxios emundare possit errores. Collegam namque diuinæ huic administrationis Legationi prouidentes Halitgarium religiosum adiicientes ministrum constituimus; quatenus ad Sedem Apostolicam opportuno valeat tempore de credito negotio faciliùs præstante Domino intinere, & nunquâ se in quali-

*Ebonis iſſi-
missio.*

75

46

18

*In dubijs
recursus ad
Romam Ecc
clesiam.*

c

o

*Halitga-
rius religio-
sus.*

qualibet parte huic nostræ auctoritatis ministerio commissio negligere: Cui coram districto Iudice inde rationem reddere, & de statuto ministerio pœnas recipere sempiternas non dubium esse præfigimus. Pro quo omnes exhortantes vnanimiter commonemus per amorem omnipotentis Dei & Domini nostri Iesu Christi, atque Apostolorum eius venerationem, vt in omnibus necessitatibus Legationis huius totis viribus eis solatiari ceteris, & in nomine Domini nostri Iesu Christi, sicut scriptum est, recipere debeatis: Qui vos, inquit, recipit, me recipit, & qui vos spernit, me spernit, Et iterum: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Vnde magis magisque commonemus, vt prouidâ deuotione, & largo caritatis affectu, puraque mente ac sincerâ intentione, quæque itineri huic necessaria prospiciatis, nec piâ benignitate pro viribus succurrere renuatis: vt pro certo huius pietatis opere participes apud Deum dignæ retributionis meritum percipiatis, seu cœlesti descriptione huiusmodi pro compensationis munere in consortio Sanctorum connumerari valeatis. Si quis verò huic Dei officio ad illuminationem Gentium à Sancta Catholica Apostolica vel Ecclesia pro consultu Ecclesiastico destinato assensum vel auxilium præbuerit, per interuentionem Beatorum Apostolorum, Martyrum quoque atque Sanctorum omnium, in cœlestibus gaudijs talibus
pro

pro meritis mereatur ascribi. At verò, si quis quod non optamus, contrarius aduersator huic diuino cultui institerit vel in quoquam præpedire conatus fuerit, & his vel cooperatoribus eorum ad hoc peragendum ministerium temerator exstiterit, ex diuina iussione & Apostolica auctoritate Anathematis vinculo puniatur, & perpetuâ condemnatione reus diabolicâ sorte damnerur.

Præceptum Diui Ludouici Imperatoris, quod, ad paganos ad Christianitatem inuitandos, fieri præcepit: (de S. Ansgario.)

IN nomine Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi. Ludouicus diuinâ propitiante Clementiâ Imperator Augustus. Si specialibus cuiusque fidelium nostrorum necessitatibus perspectis, subueniendum esse Imperialis auctoritas monstrat, quantò magis ad debitam generalitatis prouidentiam æquum dignumque pertinet, vt & Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ, quam Christus suo pretioso sanguine redemit, eamque nobis tuendam regendamque commisit, piam ac sollicitam in cunctis oporteat gerere curam; & vt in eius prouectu vel exaltatione congruam adhibeamus diligentiam, nouis ad eius necessitatem vel vtilitatem atque dignitatem pertinentibus rebus, noua imò necessaria & vtilia prouideamus constituta. Idcirco Sanctæ Dei Ecclesiæ filijs, præsentibus

bus scilicet & futuris, certum esse volumus, qualiter diuinâ ordinante gratiâ nostris in diebus, Aquilonalibus in partibus, in Gente videlicet Danorum siue Sueonum magnum cœlestis gratia prædicationis siue acquisitionis patefecit ostium: ita vt multitudo hinc inde ad fidem Christi conuersa Mysteria cœlestia Ecclesiasticaque subsidia desiderabiliter expeteret. Vnde Domino Deo nostro laudes immensas persoluentes extollimus, qui nostris temporibus & studijs Sanctam Ecclesiam, sponsam videlicet suam, locis in ignotis fuit dilatari atque proficere. Quamobrem vnâ cum Sacerdotibus cæterisque Imperij nostri fidelibus, hanc Deo dignam certentes causam valdè necessariam atque futuræ Ecclesiæ dignitati proficuum; dignum duximus, vt locum aptum nostris in finibus euidentius eligeremus, vbi Sedem Episcopalem per hoc nostræ auctoritatis præceptum statueremus; vnde omnes illæ barbaræ nationes æternæ vitæ pabulum facilius vberiusque capere valerent, & sitientes salutis gratiâ præ manibus vel oculis haberent incessanter, insuper & magnorum progenitorum sacra lucrandi studia nostris in diebus nunquam deficerent. Genitor etenim noster gloriosæ memoriæ Karolus omnem Saxoniam Ecclesiasticæ religioni subdidit, iugumque Christi adusque ad terminos Danorum atque Slayorum, corda ferocia ferro perdo-

*Sedes Episcopalis
statuenda.*

*Karolus
magnus Sa-
xon. per-
tomuit.*

perdomans, docuit. Vbi inter has vtrasque Gentes, Danorum videlicet siue Wandalarum vltimam Saxoniae partem sitam, & diuersis periculis, temporalibus videlicet & spiritualibus, interiacentem prospiciens, Pontificalem ibidem Sedem fieri decreuit trans Albiam. Vnde postquam terra Nordalbingorum laxata captiuitate, quam ob multam perfidiam in ipsis Christianitatis iniurijs patratam per septennium passi sunt, ne locus ille à barbaris inuaderetur, Ecberto Comiti, restituere præceperat, non iam vicinis Episcopis locum illū committere voluit. Sed ne quisquam eorum hanc sibi deinceps Parochiam vindicaret, ex remotis Galliae partibus quendam Episcopum Amalarium nomine, direxit, qui primitiuam Ecclesiam ibidem consecraret. Sed & eidem Ecclesiae sacras Reliquias ac plura Ecclesiastica munera piâ largitate specialiter destinare curauit. Postmodum verò captiuus optatam ad patriam vndique confluentibus, eandem Parochiam cuidam Presbytero, Heridac nomine, specialiter commendauit, quem vniuersae Nordalbingorum Ecclesiae, videlicet ne ad ritum relaberentur Gentium, vel quia locus ille lucrandis adhuc Gentibus videbatur aptissimus, disposuerat consecrari Episcopum, vt ipsâ occasione vel auctoritate summâ in ipsis terminis Gentium, sedulitate prædicandi sancta multiplicaretur Ecclesia, dum vicinorum ipsius

*Septenniū
Christiani-
tatis trans
Albiam.*

*Ecbertus
Comss.*

*Amalarium
Episcopus.*

*Heridac
Presbyter.*

*Hrodna-
ce Cella.*

*Inda Mo-
nasterium.*

*Hambur-
gum.*

*Ansga-
rius conse-
cratus Ar-
chi-Episco-
pus per Dro-
gonum met*

ipsum nouitatis Episcoporum multa latitudinis cura non sufficebat, discurrere per omnia. Delegauit etiam eidem Presbytero quandam Cellam, Hrodname vocatam, quatinus eidem loco periculis undique circumdato fieret supplementum. Sed quia consecrationem iam dicti viri velox ex hac luce transitus pij genitoris nostri in diebus eius fieri prohibuit: Ego autem, quem diuina Clementia in sedem Regni eius ascuerat, cum in multis Regni disponendis negocijs insisterem, hoc quoque predicti patris mei studium Regni in finibus peractum minus caute attendere, suadentibus quibusdam iam dictam Cellam ad Indam Monasterium contuli, vicinam vero Parochiam vicinis Episcopis interim commendauit. Nunc autem tam propter supra scripta Ecclesiastica lucra in Gentibus demonstrata, quam & propter votum pij genitoris nostri, ne quid eius studii imperfectum remaneat, statuimus vna cum consensu Ecclesiastico, prefata vltima in regione Saxonica trans Albiam in loco nuncupato Hammaburg cum vniuersa Nordalbingorum prouincia Ecclesie proprii vigoris constituere Sedem. Cui & primum preesse atque solenniter consecrari per manus Drogonis Mettensis & summæ Sanctæ Palatinæ dignitatis præsulis, Ansgarium fecimus Archi-Episcopum astantibus Archi-Episcopis Ebone Rhemensis, Hetti Treuerensis, & Ot-

& Osgario Mogontiacensi cum plurimis alijs *ensem, a-*
 generali in Conuentu totius Imperij nostri, *stantibus*
 Præsulibus congregatis, assistentibus quo- *bone Rhe-*
 que specialiter & consentientibus atque con- *mensi, Hetti*
 secrantibus, Helingaudo siue Willerico E- *Treuerensi,*
 piscopis, à quibus iam dictæ Parochiæ par- *& Osgario*
 tes à nobis sibi olim commendatas recepi- *Moguntiesi*
 mus. Cui, videlicet Ansgario, quia præfatis *Archi Epi-*
 in Gentibus hæc nostris in diebus dignissima *scopus & He-*
 in conuocatione Gentilium vel redemptione *lingaudo*
 captiuorum monstrata sunt lucra, tam no- *etiam &*
 stra quàm Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Sedis *Willerico*
 auctoritate hanc Deo dignam in Gentibus *Episcopi.*
 commissimus Legationem, ac proprij vigo-
 ris ascribere decreuimus dignitatem. Et vt
 hæc noua constructio periculosis in locis cœ-
 pta subsistere valeret, nec præualente barba-
 rorum sæuitia deperiret, quandam Cellam
 Turholt nuncupatam tam huic nouæ con- *Cella Tur-*
 structioni perenniter seruituram, quàm suæ *hole, &*
 successorumque suorum in Gentibus Lega- *eiusdē pri-*
 tioni ad nostram nostræque sobolis perpe- *uilegion.*
 tuam mercedem diuinæ obtulimus Maiestati.
 Homines quoque qui eiusdem Cellæ bene-
 ficia habere videntur ab omni expeditione
 vel militia siue qualibet occupatione absol-
 uimus, vt idem Venerabilis Episcopus ad
 hanc Deo dignam peragendam in prouisis
 temporibus Legationem nullum in hoc pa-
 tiatur impedimentum: Dona verò quæ ex
 eadem Cella nostris partibus dare solebant,
 M & nobis

& nobis quoque successoribusque nostris fir-
 militer dari volumus. His exceptis maius
 minusve in conuocatione paganorum, vel
 redemptione captiuorum, siue eiusdem Sedis
 supplemento multimodis periculis circum-
 dato, vel ibidem Deo militantium solatio, ob
 amorem Dei ac Beati Sixti Confessoris eius
 perpetuo delegamus. Res quoque præfata
 Sedis & præscripti Monasterij sub plenissima
 defensione & immunitatis tuitione volumus
 vt consistent ac tueantur: ita vt nullus iudex
 publicus aut alia quælibet potestate publicâ
 prædita persona de eorum rebus freda, tri-
 buta, mansionaticos, vel paratas, aut teloneum,
 vel fideiussos tollere, aut homines
 ipsorum tam litos quàm & ingenuos, super
 terram eorum marientes distringere, nec vllas
 publicas functiones, aut redibitiones, vel il-
 licitas occasiones requirere vel exigere præ-
 sumat. Sed liceat prædicto Venerabili Epi-
 scopo suisque successoribus, ac omni Clero
 sub eorum regimine constituto, quietè in
 Dei Seruitio degere, & pro nobis proleque
 nostra, atque statu totius Imperij nostri, di-
 uinam misericordiam exorare. Et vt hæc
 auctoritas sui vigoris perpetuam obtineat fir-
 mitatem, manu propria subter eam firmaui-
 mus, & annuli nostri impressione signare ius-
 simus Data Idus Maij, Anno, Christo propi-
 tior, 11. Imperij Domini Ludouici pijssimi
 Augusti, Indictione 12. Actum Aquisgrani,
 Pala-

Palatio Regio, in Dei nomine feliciter, Amē.

Exemplar Decreti Veneranda memoria Gregorij Papæ, de eadem re.

Hic est Gregorius VI.

Gregorius Episcopus, Seruus Seruorum Dei, Omnium fidelium dinoscentiæ certum esse volumus, qualiter Beatæ memoriæ præcellentissimus Rex Karolus tempore prædecessorum nostrorum diuino ablatu spiritu Gentem Saxonum sacro cultui subdidit, iugumque Christi, quod luauæ ac leue est, adusque terminos Danorum siue Slaouorum corda ferocia ferro perdomans, docuit, vltimamque Regni ipsius partem trans Albiam inter mortifera paganorum pericula constitutam, videlicet ne ad ritum relaberentur, Gentilium, vel etiam; quia lucrands adhuc Gentibus aptissima videbatur, proprio Episcopali vigore suadure decreuerat. Sed quia effectum mors prohibuerat, succedente eius præcellentissimo filio Ludouico, Imperatore Augusto, pium studium sacri genitoris sui efficaciter impleuit. Quæ ratio nobis per Venerabiles Ratoldum siue Bernoldum Episcopos, nec non & Geroldum Comitem vel Missum Venerabile, relata est confirmanda. Nos igitur omnem ibi Deo dignam statutam prouidentiam cognoscentes; instructam præsentiam Fratris filijque nostri Ansgarij, primi Nordalbingorum Episcopi, per manus Drogonis Mettensis Episcopi consecrati;

*Ratolfus
Bernoldus
Episcopi:
Geroldus
Comes.*

*S. Ansgarij
presencia a-
pud Grego-
riū Papam.*

M 2

sanctum;

sanctum studium magnorum Imperatorum
 tam præsentis auctoritate, quàm etiam Pallij
 datione more prædecessorum nostrorum ro-
 borare decreuimus: quatenus tantâ auctori-
 tate fundatus prædictus Filius noster eiusque
 successores lucrandis plebibus insistentes ad-
 uersus tentationes diaboli valediores existât.
 Ipsumque Filium nostrum, iam dictum Ans-
 garium, Legatum in omnibus circumqua-
 que Gentibus Sueonum siue Danorum, nec
 non etiam Slauorum, vel in cæteris vbiun-
 que illis in partibus constitutis diuina pietas
 ostium aperuerit, vnâ cum Ebone Rheimen-
 si Archi-Ëpiscopo, statuentes antè corpus &
 confessionem Sancti Petri, publicam Euan-
 gelizandi tribuimus auctoritatem: ipsamque
 Sedem Nordalbingorum, Hammaburg di-
 ctam, in honore Saluatoris Sanctæque eius
 & intemeratæ Genitricis semper Virginis
 Mariæ consecratam, Archi-Ëpiscopalem de-
 inceps esse decernimus. Consecrationem ve-
 rò succedentium Sacerdotum, donec con-
 secrantium numerus augeatur ex Gentibus.
 sacra Palatinæ prouidentia interim commit-
 timus. Strenui verò prædicatoris personæ,
 tantoque officio aptæ, eligatur semper suc-
 cessio. Omnia verò à Venerabili Principe
 ad hoc Deo dignum officium deputata, pa-
 triâ etiam pia eius vota auctoritate firma-
 mus: omnemque resistentem vel contradi-
 centem Anathematis mucrone percutimus,
 atque

f.
 129
 ax
 107

atque perpetuâ vltione reum diabolicâ forte damnamus; vt culmen Apostolicum more prædecessorum nostrorum, causamque Deo pio affectu zelantes ab aduersis hinc inde partibus tutius muniamus. Et quia te, Carissime Fili Ansgari, diuina Clementia noua in Sede primum disposuit esse Archi-Episcopum, nos quoque Pallium tibi ad Missarum solemniam celebranda tribuimus, quod tibi in diebus tuis, vti & Ecclesiæ tuæ perpetuo statu manentibus priuilegijs, vt largimur. Idcirco huius indumenti honor morum à te viuacitate seruandus est. Si ergo pastores ouium sole geluque pro gregis sui custodia, ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis lanianda morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspiciant; quanto sudore quantaque cura debeamus esse peruigiles nos qui Pastores animarum dicimur attendamus. Et ne susceptum officium in terrenis negocijs aliquatenus implicare debeas ammonemus. Vita itaque tua filijs tuis sit via: in ipsa, si qua tortitudo illis inest, dirigant, in ea, quod imitentur, aspiciant, in ipsa, se semper considerando, proficiant, vt tuum post Deum videatur esse bonum, quod vixerint. Cor ergo tuum neque prospera, que temporaliter blandiuntur, extollant, neque aduersa deiiciant; districtum mali cognoscant; piium beniuoli sentiant. In fontem apud te culpabilem malitia aliena non faciat; reū gratia

Pallij acceptio, & uisus.

non excuset. Viduis ac pupillis iniuste oppressis defensio tua subueniat. Ecce Frater Carissime, inter multa alia ista sunt Sacerdotij, ista sunt Pallij; quasi studiosè seruaueris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis. Sancta Trinitas Fraternitatem Vestram diu conseruare dignetur incolumem, atque post huius seculi amaritudinem ad perpetuam perducatur beatitudinem.

Hic est Nicolaus I.

Decretum Nicolai Papa.

Nicolaus Episcopus, Seruus Seruorum Dei. Omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentis temporis scilicet & futuri. Quisquis Dominum & Redemptorem nostrum Iesum Christum de sinu Patris ad terram pro demonstrandâ cordibus hominum verâ & certâ fide descendisse non dubitat, profectò non ignorat, omnes, qui eiusdem fidei per gratiam ipsius participes facti sunt, & principuè Nos, qui per primum tantæ virtutis ministrum locum præcipuum retinemus, hominibus debere lucrandis insistere, & per vniuersas Gentes Verbi semina serere, & solatia serentibus ministrare. Nunc autem quia Ludouvicus sublimissimus Rex per Salomonem Venerabilem Episcopum ciuitatis Constantiæ nostro studuit Apostolati intimare, quod piæ memoriæ Ludouvicus Imperator genitor suus quendam Monachum, nomine Ansgarium, de Monasterio Cor-

*Repetitio
priorum, ex
Præcepto
Ludouvic
Imp. & De-
creto Grego-
rii pape.*

Corbeia tulisset, & collocasset eum iuxta Al-
 biam fluium in confinibus Danorum &
 Slauium, siue Saxonum, in castello Ham-
 maburg, inter duos Episcopatus, Bremen
 & Verde, de quibus tollens Ecclesias & de-
 cimas ad sustentationem prouehendi iam
 fati Episcopi Clericorumque eius, condo-
 nasset in prædicto loco, annuente ac solem-
 nia Sedis Apostolicæ priuilegia præbeente præ-
 decessore nostro Beatæ memoriæ Papâ Gre-
 gorio; cuius etiam auctoritate in supradicto
 Nordalbingorum populo Sedes constituta
 est Archi-Episcopalis, in castello superius me-
 morato Hammaburg; & in eadem quoque
 Sede Archi-Episcopus, accepto à Sede Apo-
 stolicâ Pallio primus est ordinatus Ansga-
 rius, cui à prælato Pontifice delegata est
 cura seminandi Verbum Dei & animas lu-
 crandi Deo. Cuius delegationis & auctori-
 tatis & Pallij acceptionis pagina nobis est à
 prælato Filio nostro Ludouico Rege per
 iam dictum Salomonem sanctissimum Epi-
 scopum destinata, iuxta morem Sanctæ Ro-
 manæ Ecclesiæ ebullata; per cuius tenorem
 paginæ hæc ita fuisse comperimus, sicut pie-
 tas nobis iam fati Regis per fidelem virum
 Salomonem scilicet Episcopum intimauit.
 Vnde nos vestigia tanti Pontificis & præde-
 cessoris nostri sequentes Gregorij, omnem-
 que ibidem Deo dignam statutam prouiden-
 tiam agnoscentes, magnorum Principum vo-

M 4

rum, Hamb. Ec.

*S. Ansga-
 rius secun-
 do cōfirm-
 tur, palliū
 accipit, &*

*clafsa Ar-
chi Epifco-
paliſ deola-
ratur.*

tum, Ludovvici videlicet recordationis
 Auguſti, & æquiuoci eius filij excellentiffi-
 mi Regis, tam huius Apoſtolicæ auctoritatis
 præcepto, quàm etiam Pallij datione, more
 prædeceſſorum noſtrorum roborare decre-
 uimus. Quatinus tantâ fundatus auctoritate
 prænominatus Anſgarius primus Nordal-
 bingorum Archi-Epiſcopus, & poſt ipſum
 ſucceſſores eius lucrandis plebibus inſisten-
 tes aduerſus tentamenta diaboli validiores
 exiſtant: Ipſumque Filium noſtrum iam di-
 ctum Anſgarium Legatum in omnibus cir-
 cumquaque Gentibus Sueonum ſiue Dano-
 rum, nec non etiam Slauium vel in cæteris,
 vbicunq; illis in partibus conſtitutis diuina
 pietas oſtium aperuerit, publicam Euangeli-
 zandi tribuimus auctoritatem ipſamque Se-
 dem Nordalbingorum, Hammaburg dictâ,
 in honorem Sancti Saluatoris Sanctæque e-
 ius intemeratæ genitricis ſemper virginis
 Mariæ conſecratam, Archi-Epiſcopalem de-
 inceps eſſe decernimus: Atque vt ſtrenui præ-
 dicatoris Epiſcopi, poſt diſceſſum crebro di-
 cti Anſgarij Archi-Epiſcopi, perſona tanto-
 que officio apta eligatur ſemper ſucceſſio,
 ſub diuini iudicij obteſtatione ſtatui-
 mus. Verùm quia Karolus Rex, frater ſæpè dicti
 Regis Ludovvici, poſt diſceſſum Imperatoris
 patris ſui piæ memoriæ Ludovvici, abſtulit
 à prælato loco, qui dicitur Hammaburg,
 Monafterium quod appellatur Turholt, ut-
 pote

*Cella Tur-
holt ab Hæ-
burgenſi Se-
de ablata:*

pote quod post partitionem inter fratres suos *et deficiens*
 in Regno suo coniacere videbatur situm, in *illa Ecclesia.*
 occidentali Francia, quod illic genitor suus
 ad supplementum & victum Episcopo &
 Clericis eius dederat; cœpère, sicut fertur,
 omnes ministri Altaris recedere, deficienti-
 bus quippe necessarijs sumtibus, ab ipsis re-
 cesserunt Gentibus, & eadem ad Gentes
 Legatio per huiusmodi factum defecit: ipsa
 que Metropolis Hammaburg penè deserta
 facta est. Igitur dum hæc agerentur mortuus
 est Bremensis Episcopus, quæ huic conti-
 gua esse dicitur: cumque sæpè dictus Rex,
 & hanc Diœcesin vacantem & illam novel-
 lam institutionem deficientem, insuper & v-
 tramque hanc Ecclesiam, Dei permittente
 occulto iudicio per barbarorum sæuitiam
 admodum attenuatam, quærere cœpit, qua-
 liter prædicta Bremensis Ecclesia prædictæ
 quoque novellæ Archi-Episcopali vniretur,
 ac subderetur Sedi, nostro hoc votum ro-
 borante decreto: Vnde persæpe nominatum
 Missum, Salomonem videlicet Constantiæ
 ciuitatis Episcopum, nobis hoc relatum est
 confirmandum ac postulatum est nostrâ au-
 ctoritate roborandum. Nos igitur id subtili
 perpendentes examine animo aduertimus
 propter instantem necessitatem & animarum
 lucra in Gentibus demonstrata vtile fore,
 Omnia enim quæ proficua Ecclesiæ proban-
 tur existere, & diuinis non resultant præce-

*Causa. et
 consiliū v-
 nitionis Ec-
 clesiarum
 Hambur-
 gensis et
 Bremensis.*

M s

ptioni-

ptionibus, licita & facienda esse non dubi-
ramus; maximè in tam nouellæ Christiani-
tatis plantatione, in qua varij solent euentus

*Decretum
Papale istâ
unionem
confirmans.* contingere. Quamobrem omnipotentis Dei,
& Beatorum Apostolorum Petri ac Pauli,
& hoc nostro decreto, decernimus secun-
dum Reuerendissimi Ludovvici votum, ip-
sas prædictas Diœceses, Hammaburgensem
& Bremensem scilicet, non deinceps duas,
sed vnum esse & vocari subdiq̄ue sedi quæ
prædecessoris nostri decreto Archi-Episco-
pali est munere sublimata, restitutâ duntaxat

*Pars que-
dam ablata
Ferdensitico
clesiæ red-
denda.*

de Bremensis Ecclesiæ rebus Episcopatu Ver-
densi parte inde antè ablatâ. Nullus verò Ar-
chi-Episcopus Colonienſis vllum sibi deinceps
in eadem Diœcesi vindicet potestatem:
quinimò & ipsis & omnibus omninò suades-
mus veræ religionis cultoribus, vt sacrâ hac
Legatione fungentibus adiutorio & solatio
sint; quatenus gratiâ huius beneficij plenam
mercedem recipere mereantur ab eo, qui di-
xit: Ite docete omnes Gentes, Et, Quicun-
que receperit vos, me recipit. Itaque omnia
à dilecto Filio nostro Rege Ludovvico ad
hoc Deo dignum officium deputata, nostrâ
etiam pia eius vota auctoritate firmamus.
Et quia casus præteritorum nos cautos fa-
ciunt in futurum, omnem quoque aduersantē
vel contradicentem atque pijs nostris his stu-
dijs quilibet modo insidiantem, Anathema-
tis mucrone percutimus, atque perpetuæ vl-

tionis

tionis reum diabolica sorte damnamus: ut
 culmen Apostolicum more prædecessorum
 nostrorum, causamque Dei pro affectu ze-
 lantes ab aduersis hinc inde partibus tutius
 muniamus. Et quia te, Charissime Fili An-
 gari, diuina Clementia nouâ in Sede primum
 disposuit esse Archi-Episcopum, nosque Pal-
 lium tibi ad Missarum solemnia celebranda
 tribuimus, quod tibi in diebus tuis, uti &
 Ecclesiæ tuæ perpetuo statu manentibus
 priuilegijs uti largimur. Quocirca huius in-
 dumentum honor morum à te viuacitate ser-
 uandus est. Si ergo pastores ouium sole ge-
 luque pro gregis sui custodia, ne qua ex eis
 aut errando pereat, aut ferinis lanianda mor-
 sibus rapiatur, oculis semper vigilantibus
 circumspectant; quanto sudore quantaque
 curâ debeamus esse peruigiles nos qui Pasto-
 res animarum dicimur, attendamus & ne
 susceptum officium in terrenis negocijs ali-
 quatenus implicare debeamus, admonemus.
 Vita itaque tua Filijs tuis sit via: in ipsâ, si
 qua tortitudo illis inest, dirigant: in eâ,
 quod imitentur, aspiciant in ipsâ, se semper
 considerando, proficiant, ut tuum post De-
 um videatur esse bonum quod vixerint.
 Cor ergo tuum neque prospera quæ tem-
 poraliter blandiuntur, extollant, neque ad-
 uersa deiciant: districtum mali cognoscant.
 pius beniuoli sentiant. Insontem apud te
 culpabilem malitia aliena non faciat, reum
 gratia

*Alloquitur
 absente
 tanquam
 presentem*

*Pallij si-
 gnificatio-
 nes.*

gratia non excuset, viduis ac pupillis iniuste oppressis defensio tua subueniat. Ecce, Frater Carissime, inter multa alia ista sunt Sacerdotij ista sunt Pallij, quæ si studiosè seruaueris, quod foris accepisse ostenderis, inrus habebis. Veruntamen ista omnia superius annexa ab Apostolica Sede Beatitudini tuæ indultra agnosce, si à fide & decretis Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ in nullo penitus declines: Quòd si à fide & institutis aut sanctionibus te tanto sublimantis honore Sedis Apostolicæ declinare studiosè præsumseris, his nostris tibi collatis careas beneficijs. Porrò de Pallio vri non nisi more Sedis concedimus Apostolicæ, scilicet vt successores tui per semetipsos vel per Legatos suos & Scriptum, fidem nobiscum tenere, ac Sanctas sex Synodos recipere, atque decreta omnium Romanæ Sedis Præsulum, & Epistolas quæ sibi delatæ fuerint venerabiliter obseruare atque perficere omnibus diebus suis scripto se & iuramento profiteantur. Scriptum per manum Zachariæ Notarij Regionarij & Scrinarij Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Maio, Indictione duodecima. Benè valet. Data pridè Calend. Iunij, per manum Tiberij Primicerij Sanctæ Sedis Apostolicæ, Imperante Domino pijsimo Augusto Ludovico à Deo coronato magno Imperatore, Anno quintodecimo, indictione duodecima.

Epistola

*Conditio
indultis a
iustis.*

*Quomodo
Pallio ven-
dum.*

*Epistola Nicolai Papæ ad Horicum
Regem Danie.*

Nicolaus Episcopus Seruus Seruorum
 Dei: Horico Regi Danorum. Multas
 omnipotenti Deo gratias egimus in aduen-
 tu Fratris & Coëpiscopi nostri Salomonis, qui
 missus à Filio nostro glorioso Rege Ludo uui-
 co & munera tua obtulit & de fide tua quam
 etiam antè Baptismi gratiam per præuenientē
 Dei misericordiam iam habere dinosceris, nos
 plurimum exhilarauit. Et ideò leuantes oculos
 ad eum, qui solus est verus & vnicus atque
 omnipotens incessanter pro salute tua cle-
 mentiam eius suppliciter exoramus; vt qui
 dixit de tenebris lucem splendescere, &
 Sancti sui Spiritus illustratione caliginem i-
 gnorantiæ vel infidelitatis è cordibus illorum
 qui credituri erant in nomine ipsius, sua
 præueniente gratiâ dissipauit, iamque in te
 miserationis suæ opus ostendere solitâ pie-
 tate curauit; ipse quoque oculos tuos ad
 cognoscendam veritatem aperiat, è pectore
 tuo ignorantie tenebras abigat, duritiam &
 velamentum cordis tui remoueat, lumenque
 tibi veræ fidei ac religionis ostendat, atque
 te ad suam attrahat cognitionem, & ad sa-
 lutarem fontem & ad perenne Regnum &
 ad vitam perducatur æternam, vbi est gaudium
 sine mœrore, satietas sine fastidio, salus con-
 tinua, vita indeficiens, pax non habens fi-
 nem, & summa manet securitas ac sempiterna
 gloria

*Horicus
Rex Danie
conuersus.*

*Præces Pa-
pa pro eo.*

*Descriptio
vita eter-
na.* gloria: vbi videbitur Deus sicuti est, & om-
nines iusti cum illo regnabunt, & regnum
74. ipsorum nec terminis angustiatur, nec præ-
lijs agitatur, nec sine concluditur, nec con-
summatione finitur. Quod agnoscentes nos,
qui fidem Christi tenemus, & Christiani vo-
camur, credimus in ipsum qui talem no-
bis vitam & regnum promisit, ac multò am-
plius illi seruiamus & colimus pro illâ vitâ,
quàm pro istâ quæ tota misera est, tota plena
periculis, vbi est mœror continuus, satietas
cum dolore, sanitas breuis, vita mortalis,
iurgia ac suspecta securitas, & citò deficiens
gloria, vbi scriptum est: Militia est vita ho-
minis super terram, & quasi dies mercenarij
dies eius: vbi, siquàm, regnum breue est,
& iugibus bellis concutitur, & post paulu-
lum de manu possidentis adimitur, dum etsi
non virtute hominis, tamen conditione mor-
tis auferatur. Desine ergo Idola colere, & dæ-
monibus iam seruire desiste: Omnes enim
Dij Gentium, dicente Psalmista, dæmonia;
Dominus autem cœlos fecit. Itaque qui fecit
& qui factus est; Creator & non creaturâ
colendus est. Ecce enim Idola tua manu fa-
cta, surda, muta, & cœca sunt, & quam tibi
salutem possunt conferre, ipse quæso per-
pende; cum sibi met nullum auxilium, cum
sint sine sensu, valeant omninò præstare.
Deum igitur cole, ipsum adora, ipsi soli sin-
gularem seruitutem impende, qui est omni-
potens,

*Miseria
huius vita.*

*Dehortatio
ab Idolâ
cultura.*

*Admoni-
tio ad Deum
colendum.*

potens, omnitenens, inenarrabilis, imensus,
 infinitus, simplex, incommutabilis, incircum-
 scriptus, immortalis, totus bonus, totus mi-
 sericors, totus Sanctus: qui tibi & in hoc
 seculo auxiliari potest, & in futuro beatifi-
 care; qui tibi post mortem vitam dabit quæ
 non finitur, & regnum tribuet, si eum per-
 fectè colueris, & amaueris, quod nesciat
 prorsus occidit, nec sentiat vllum sui status
 aliquando decrementum. Illuminator omnium
 Deus omnipotens illuminet cor tuum & ad
 agnitionem suam perducere dignetur.

*Epistola Sergij Papa ad Hogerum Archi-Episcopum
 Hamburgensem.*

Sergius Episcopus Seruus Seruorum Dei.
 Reuerendissimo & sanctissimo confrat-
 ri nostro Hogero Archi-Episcopo Sanctæ
 Hammaburgensis Ecclesiæ. Diebus vitæ tuæ
 tantummodo pastores ouium solem geluque
 pro gregis sui custodia die ac nocte ferre con-
 tenti sunt, & ne qua ex eis aut errando pe-
 reat, aut ferinis lanianda moribus rapiatur,
 oculis semper vigilantibus circumspectant;
 quanto sudore, quanta cura debeamus esse
 peruigiles nos, qui Pastores animarum dici-
 mur attendamus; & susceptum officium ex-
 hibere erga custodia Dominicarum ouium
 non cessemus, ne in die divini examinis pro
 desidia nostra antè Summum Pastorem ne-
 gligentia reatus inde exurgat, vnde modò
 hono-

*Diligen-
 tia Pastora-
 lia.*

*Pallij da-
tio.*

*Quando eo-
rendum.*

*Quid mo-
neat Palliū.*

Instructio.

honoris reuerentia sublimiores inter cete-
ros iudicamur. Pallium autem Fraternitati
tux ex more ad Missarum solemnia cele-
branda transmisimus, quo tibi noualiter Ec-
clesiæ tuæ priuilegijs in suo statu manenti-
bus uti largimur non nisi solummodo in die
Sanctæ ac venerandæ Resurrectionis Do-
mini nostri Iesu Christi, seu in Natalibus A-
postolorum, nec non & Beati Iohannis Ba-
ptistæ, atque in Assumptione Sanctæ Dei geni-
tricis Mariæ Dominæ nostræ: immò & Na-
tiuitatis Domini nostri Iesu Christi die, nec
non natalitia Ecclesiæ tuæ die, simul & in-
ordinationis tuæ concedimus die; & quan-
do recunduntur reliquiæ Sanctorum à te, si-
cut à Beatissimo prædecessore nostro Do-
mino Gregorio huius almæ Sedis Præsule
sancitum est. In Secretario verò Fraternitas
tua Pallium induere debeat, & ita ad Missa-
rum solemnia proficisci. Cuius quomodo
indumenti honor modesta actuum viuacitate
seruandus est, hortamur, ut & morum tuorum
ornamenta conueniant, quatinus auctore
Deo rectè utrobique possis esse conspicuus.
Itaque vita tua Filijs tuis sit regula: in ipsa,
si qua torritudo illis iniecta est, dirigant, in
ea, quòd imitentur, aspiciant, ut tuum post
Deum videatur esse bonum, quòd vixerint.
Cor ergo neque prospera, quæ temporali-
ter blandiuntur, extollant, neque aduersa
deiciant; sed quicquid illud fuerit virtutè
patien-

patientiae deuincatur. Nullum apud te odia, nullum fauor indiscretus inuenient, districtum mali cognoscant, infontem apud te culpabilem suggestio mala non faciat, nocentem gratia non excuset, remissum te delinquentibus non ostendas, nec quod vltus non fueris perpetrari permittas: sit in te & boni Pastoris dulcedo, sit & Iudicis seuera districtio; vnum scilicet quod innocenter viuentis foveat, aliud quod inquietos feriendo a prauitate compescat. Sed quoniam nonnunquam Praepositorum zelus, dum districtus vult malorum vindex existere, transijt in crudelitatem correptio, iram iudicio refrena, & censuram disciplinae lecuturæ; vt & culpas ferias; & a dilectione personarum, quas corrigis, non recedas. Misericordem te prout virtus patitur pauperibus exhibe, oppressis defensio tua subueniat, opprimentibus modesta correctio contradicat; nullius faciem contra iustitiam aspicias, nullum querentem iusta despicias; custodia in te æquitatis excellat, vt nec diuitem potentia sua aliquid apud vos extra viam suadeat rationis audere, nec pauperem de re sua faciat humilitas desperare: quatinus Deo miserante talis possis existere, qualem sacra lectio præcipit, dicens: Oportet Episcopum irreprehensibilem esse. Sed his omnibus salubriter vti poteris, si magistram Caritatem habueris, quam qui secutus fuerit, a recto aliquan-

N

do tra-

do tramite non recedit. Ecce, Frater Carissime, inter multa alia ista sunt Sacerdotij, ista sunt Pallij, quæ si studiosè seruaueris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis. Sancta Trinitas Fratritatem Vestram gratiæ suæ protectione circumdet, atque ita in timoris sui via nos dirigat, vt post vitæ huius amaritudinem ad æternam simul dulcedinem peruenire mereamur. Scriptum per manum Iohannis Scriniarij Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Maio, Indictione decimaquarta, Bene vale. Data in Kalend. Iunij per manum Theophylacti Sacellarij Sanctæ Sedis Apostolicæ, Anno Deo propitio Pontificatus Domini Sergij Summi Pontificis, & vniuersalitatæ Papæ, in sacratissima Sede Beati Petri Apostoli VIII. Indictione. XIV.

Epistola Formosi Papa ad Adalgarium Archi-Episcopum Hammaburgensem.

Formosus Seruus Seruorum Dei. Reuerendissimo & sanctissimo Adalgario Archi-Episcopo Hammaburgensi. Arbitrabamur tuam sanctimoniam, prout iniunctum fuerat, ad Apostolicam Sedem festinare, quatenus dilceptatio, quæ inter te & Hermannum Agrippinæ Colonia Reuerendissimum Archi-Episcopum ventilatur, de Bremenensi Ecclesia, finem perciperet. Sed ipse per suos vicarios insistente, & querimoniam multiplicante, cur tuam non exhibueris præsentiam

Hermannus Coloniensis Archi-Episcopus.

Corripitur Adalgarus à Papa.

sentiam, saltim per defensorem vicarium, non modicum miramur. In quo suspicari tribuitur summo opere, contentionem non odire, qui iudicij æquitatem conatur subterfugere: Præsertim cum & Maguntia Sanctissimus Archi-Episcopus, cui de hac re, ut veritatem inquireret per confratres & conlimitaneos Episcopos iniunctum fuerat, ad nos scribens significauerit: quatenus venientibus Reuerendissimis Episcopis ad Frankenford, de hac eadem re diligentissima facta fuerit inquisitio, omnesque Diocesani eiusdem Colonienfis Episcopi, Francho videlicet tunc Gressis, Vodelbaldus Traiectensis, Wofelmus Mimiger Malfurdensis, Druogo Mimidomensis, Egilmarius Osnabrugensis, sub testificationis prætextu testificati sunt, utque ad te nullum Bremensis Ecclesie Præsulem modum subiectionis Colonienfis Antistiti contempsisse, sed semper decessores suos, qui eidem Bremensi Ecclesie præfuerunt à temporibus suæ Christianitatis Sedi Colonienfi fuisse subiectos. Verum quia tantorum virorum testimonium frustrari non expedit, & ad statutum veniendi tempus festinare vel delegare vicarium distulisti, tanti temporis querimoniam, ac Legatorum constantem instantiam nihili pendere inhumanum videbatur: quapropter artati, hinc ne Colonienfis Ecclesia iustitiam perderet, inde ne Hammaburgensis Ecclesia, quæ ad Gentium vo-

De subiectione Bremensis Ecclesie ad Coloniensem.

*Dispensa-
tio Papa su-
per vniuersa
Ecclesiarij
Mamburg.
& Bremen-
sis.*

cationem instituta fuerat, subsidio destituta deficeret; dispensatiuè censuimus, quatenus quoadusque diuinâ suffragante gratiâ, prælibata Hammaburgensis Ecclesia in tantum dilatetur, vt Episcopiam instituere valeat, iam memoratam Bremensem Ecclesiam ad subsidium habeat. & quotiens in magnis ac prænecessarijs Canonicijs negocijs oportuerit, non subiectione aliqua, sed affectu fraternæ Caritatis Hammaburgensis Archi-Episcopus, qui eiusdem Bremensis Ecclesiæ regimen obtinet per se aut vicarium suam vicem gerentem, in adiutorium Colonienfis Archi-Episcopi inuitatus accedat: Dilatatâ autem Hammaburgensi Ecclesiâ, largitore omnium bonorum amminiculante, & fundatis Episcopijs, sæpè memorata Coloniae Sedes Bremensem recipiat Ecclesiam. Inhumanum quippe est inter seculares, aliena iura peruadere; quantò magis Sanctissimos Episcopos statutos à Patribus transgredi terminos, & eos litigare, qui pacis debent subditis exempla præbere. Hæc autem ad hoc decreta est dispensatio, vt pax vigeat, cesset contentio, & iustitiæ vigorem misericordiæ compassio temperet, scientes sine pacis bono nullum Deo minus fore acceptabile.

Deo gratias.

APPEN-

APPENDICIS AP-
PENDIX, PRO OBEDIEN-
TIA PRAESTANDA HAMBVRGEN-
SI SEDI AB OMNIBVS EPISCO-
patibus Septentrionalibus.

Epistolæ quatuor Innocen-
tij II. Papæ.

I.

*Ad Adelberonem Archi-Episcopum
Hammaburgensem.*

Innoce[n]tius Episcopus, Seruus
Seruorum Dei, Venerabili Adal-
beroni Hammenburchensi Archi-
Episcopo eiusque successoribus
Salutem & Apostolicam benedi-
ctionem. Ad hoc in Beati Petri Cathedra
disponente Deo -- constitui esse aspici-
mur, quatinus singulis Ecclesiasticis personis suam
conseruemus iustitiam, & qualiter tam tem-
poraliter quàm spiritualiter earum status in-
teger perseueret, salubriter prouidere cure-
mus. Dignum etenim & rationale est, vt
sicut sacrosancta Dei Ecclesia vnitatis ac fidei
perpetua mater existit, ita nimirum priuile-
gia custodiantur illæsa, & nullis molestijs,
nullis oppressionibus prauorum hominum
fatigetur. Sæpè vtique Venerabilis Frater no-

N 3

ster

ster Adalbero Hammenburgensis Archi-Episcopus in præsentia prædecessorum nostrorū felicitis memoriæ Calixti & Honorij ac nostra questus est, Acerum Lundensem, & alios Daciæ, tibi debitam sicut Metropolitano suo, quemadmodum antiquis privilegijs Gregorij, Sergij, Leonis, Benedicti, Nicolai, Adriani, Romanorum Pontificum continetur, obedientiam denegare. Frequenter autem & à prædictis prædecessoribus nostris Calixto & Honorio, atque à nobis eis mandatum est, vt aut ad tuam & Hammenburgensis Ecclesiæ redirent obedientiam, aut si quam super hoc se considerent iustitiam habere, ad Sedem Apostolicam venirent præparati: ipsi verò Apostolicis contemptentes obedire mandatis, nec venerunt nec responsales miserunt. Quia igitur lucrum nemo de sua contumaciâ debet obtinere, ex deliberato Fratrum nostrorum Episcoporum & Cardinalium consilio, tam Lundensem quàm alios Episcopos Daciæ tibi restituimus. Ad formam itaque privilegiorum, Gregorij, Sergij, Leonis, Nicolai, Benedicti, & Adriani, Episcopatus Daciæ, Suediæ, Norvveigiæ, Fariæ, Gronlondia, Hallingaldia, Islandia, Scrideuindia, & Slauorum, Carissimi Filij nostri Lotharij Regis precibus inclinati, tibi & per te Hammenburgensi Ecclesiæ, suæ videlicet Metropoli, præsentis scripti paginâ confirmamus. si qua igitur in futurum Ecclesia-

eclesiastica Seculariſſimæ perſonæ hanc noſtræ confirmationis paginam violare tentauerit, ſecundò tertioſque commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendauerit, poteſtatis honorisſque ſui dignitate careat, ream ſe diuino iudicio exiſtere de perpetua iniquitate recognoscat, & à ſanctiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubiaceat: Cunctis autem hæc ſtatuta ſeruantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti. Data Romæ apud montem Auentinum per manum Almerici Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi, Cardinalis, Cancellarij, VI. Kalend. Iunij, Indictione XI. Incarnationis Dominicæ anno MCXXXIII. Pontificatus verò Domni Innocentij Papæ II. anno QVART.

II.

Ad Nicolaum Danorum Regem.

InnoCentius Episcopuſ, Seruus Seruorum Dei, delecto in Chriſto Filio Nicolao, Illuſtri Danorum Regi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Prædeceſſores noſtri felicis memoriæ, Gregorius, Sergius, Nicolaus, Benedictus, & Adrianus, Romani Pontifices, Hammenburgenſem Eccleſiam Metropolitim ſtatuerunt, & ei tam Lundensẽ quàm alios Episcopatus Daciæ ſubdiderunt. Cæterum Frater noſter D. Hammenburgenſis Ar-

chi Episcopus, tam prædecessorum nostrorum tempore, quàm nostro questus est, quòd earundem Ecclesiarum Episcopi debitam sibi obedientiam ac reuerentiam exhibere contemnant. Pro quo nimirum, cum à prædictis prædecessoribus nostris, Calixto & Honorio, atque à nobis, sit eis per scripta mandatum, vt ad Sedem Apostolicam venirent responsuri super hac causâ, nec venerunt, nec responsales miserunt. Nos itaque vnicuique suam iustitiam volentes conseruare, communicato Fratrum nostrorum consilio, præfato Fratri nostro D. Archi-Episcopo, quemadmodum in antiquis priuilegijs prænominatorum, Sergij, Gregorij, Leonis, Benedicti, Nicolai, & Adriani, Romanorum Pontificum continetur, tam Lundensem quàm alios Episcopos Daciæ restituimus. Tuæ itaque prudentiæ per Apostolica scripta rogando mandamus, quatinus eidem Fratri nostro D. Archi-Episcopo, tanquam Metropolitanò tuo, humiliter pareas, & vt Episcopi tui Regni ad obedientiam redeant, diligentius satagas adimplere. R. Data apud montem Auerninum VI. Kal. Iunij.

III.

Ad Acerum Lundinensem Episcopum.

*Hæc Epistola
nfr. in No-
u num. 34.
opieclura*

Innocentius Episcopus Seruus Seruorum
Dei - - - - - Salutem &
Apostolicam benedictionem. Quemadmo-
dum

dum - - - - - alterum non lædere; ita *liter in iei-*
 nimirum - - - - - *gratuz.*

Cæterum venit Frater noster A. Hamma-
 burgensis Archi-Episcopus - - - - - beatæ
 memoriæ Calix. & Honor. - - - - -
 - - - - - & reuerentiam tanquam
 Metropolitano tuo neglig. - - - - -
 ipsis & à nobis sæpè per literas & nuncios
 euocat - - - - - Sedem Apostolicam
 visitasti. Quia igitur nostri officij est, singu-
 lis sua - Fraternitati tuæ per præsentia scri-
 pta - - manda - - - - - onem & reueren-
 tiam redeas, & ei tanquam Metropolitano -
 - - - - - Data apud montem Auentinum
 VI, Kalend, Iunij. - - - - -

IV,

Ad Magnum, cum patre Nicolao Dania Regem

Innoentius Episcopus, Seruus Seruorum
 Dei, dilecto in Christo Filio - - - - -
 - - - - - Regi, Salutem & Apostolicam be-
 nedictionem. Venerabilis Frater noster Hå-
 meburgensis Archi Episcopus ad Apostoli-
 cam Sedem veniens, in nostra præsentia que-
 stus est, Quòd cum Episcopis Regni tui, si-
 cut antiqua prædecessorum nostrorum, Gre-
 gorij, Sergij, Leonis, Benedicti, Nicolai, &
 Adriani, Romanorum Pontificum priuilegia
 indicare noscuntur, metropolitano iure præ-
 sideat, debitam ei obedientiam denegare
 præsumant. Quia igitur nostri officij est,

*Vid. in No-
 tu num. 85.*

N 5 male

malè gesta corrigere, & ad viam rectitudinis
reuocare, Nobilitati tuæ rogando man-
damus, quatinus præfato Fratri nostro A.
Hamburgensi Archi-Episcopo, tanquam
Metropolitano tuo, humiliter pareas, & vt
Episcopi terræ tuæ ad ipsius obedientiam
redeant, pro facultate tibi à Deo collatâ di-
ligenter efficias. Data apud montem
Auentinum VI. Kalend. Iupij.



Annota

*Annotaciunculæ in hanc
Editionem.*

IN editione vitæ horum Sanctorum non commendabo nîsus & labores meos, de quibus nemo rectiùs iudicat, quàm qui ipse expertus est: de diligentia autem & fide mea hoc testor, quòd vtramque summam adhibuerim, in id omni studio incumbens, vt non dicam sine fraude, sed sine etiã αὐτοφρονήσει, proprij iudicij sapientia, purè & incorruptè vetustus ille Hamburgensis Ecclesiæ Codex, hæctenus priuatis tenebris obrutus, in lucem publicam prodiret. Itaque nec in Verbis, nec in rebus, quicquam vel addidi, vel detraxi, vel imutavi, sed omnia vt sunt reliqui: exceptis illis, quæ omnium iudicio & consensu necessariò rectificanda erant. Est enim liber hic pulchrè quidem & legibiliter scriptus, sed mendis & erratis scriptorijs passim refertus; quæ relinquere, & deinceps in his notis corrigere, totum librum fœdasset, annotationes protraxisset, & tanquam inanis ac superfluous labor omnibus, scio, prudentibus lectoribus displicuisset. Ea igitur pro modulo meo sustuli. Reliqui tamen multa alia, quæ, vt Latinus & tersus esset sermo, qui tamen hæctenus pro temporum illorum ratione optimus est, limam merebantur: quia verò in veterum, etiam eruditorum, vsu erant, atque etiamnum hodie ferè sunt,
ab ijs

ab ijs abstinui manus. Circa res autem ipsas, siquid declaratione aut consideratione dignum occurrere videretur, ad has notas reieci, & in gratiam lectoris impendi. Spero, vt in edendo hæc diu desiderata multis gratus ero, sic in obseruando quædam neminem me læsurum.

Nota Verbales, generales.

1. **C**VM Vita S. Ansgarij Capitulis & Rubricis distincta esset, ego Vitam S. Willehadi, & Vitam S. Rimberti, similiter distinxī, vt & lector continuo opere non nausearet, & citationes à nobis alijsque commodiùs fieri possent. In quem finem etiam lemmata illa marginalia addidi, vt vbiuis oculis faciliè occurreret quod quæreretur.

2. De nominibus trium horū Sanctorum sic inuenio & iudico. Nomen S. Willehadi semper vno modo sine variatione scriptum est, & adhuc hodie Bremæ ita pronunciat. ur.

Nomen autem S. Ansgarij variè in hoc libro scribitur: aliquando per K. Anskarius: aliquando per C. Anscarius: aliquando per CH. Anscharius: aliquando per G. Ansgarius. Vltimam hanc scriptionem puto genuinam esse, & literam G. Gallico more pronunciarī vt SCH; quæ pronuntiatio in hodiernum vsque diem Bremæ vsitata est, vbi absorptâ primâ syllabâ dicunt Sent Scharies, Kirch / stras / Thor / ic. & inde profluxit, vt qui-

quidam per sch scriberent, quod planè à Gallica, qualis hæc est, voce abhorret.

Nomen etiam S. Rimberty aliquando hic scriptum est Rembertus, quod Baronius, Haræus, Lippeloo, & alij retinent: quia tamen in toto textu perpetuò scribitur Rimbertyus, ego illud non mutare, sed retinere malui, vt ostenderem antiquam illius seculi prononciationem. Hodie Bremæ vtramque literam E I coniungunt, & contractâ voce Sent Reimer dicunt.

3. Vitia scriptoria quæ sustuli, eiusmodi ferè sunt: tempto, dampno, pro tento, dampno: nuntio, negotium, pro, nuncio, negocium: Dioecesis, pro, Diœcesis: Reuerentissimus, pro, Reuerendissimus: Parochia, pro, Parochia: pulcher, sepulchrum, pro, pulcer, sepulcrum: mi domina, pro, mea domina: fortuitu, pro, fortuito: pacior, pocior, toctius, pro, patior, potior, totius: scola, pro, schola: pyrata, pro pirata: & similia quàm plurima.

4. Correxì etiam Idolatria, pro, Idololatria: est enim *ἰδωλία λατρεία*. Item Kalenda, quod in singulari numero non dicitur, sed Kalendæ, arum, in plurali: nolim etiam per K scribere, cum sit in Latino Calo, as, ate, id est, interpono, sicut dies ille bissextilis ex quatuor annorum sex horis confluens in Februaria interponitur seu intercalatur: vox certè Græca non est, quod Proverbiū, Ad Calendas, Græcas,

cas,

cās, ostendit; quia Græci vocem illam non habent. Item illud, Quilibet, quælibet, pro, quidam, quædam, quod nimis frequens in hoc scripto est.

5. Reliqui etſi minùs Latina, tunc tamen & nunc, præſertim Eccleſiaſticiſ uſitata: ſibi, pro, illi: illi, pro, ſibi: innotuit, pro, notum fecit: beniuolentia, pro, beneuolentia: quatinus, pro quatenus: quatinus, pro, ut: Pſalterium, pro, Pſalmo: artiùs, pro, arctiùs: & vocem omnimodis, pro omnimodo, ubique retinui, quia tum uſitata, & hodie fortè non omnino barbara eſt, q. omnibus modis diceretur, pluraliter, quod alias ſingulariter q. omnimodo dicitur.

6. Inter cætera etiam hoc mihi mouendum uidetur, quòd hinc inde Coniunctiones aduerſatiuæ, vel, ſiue, ſeu, pro copulatiua, &, inueniuntur: ut longè vel prope, pro longe & prope; Coëpiſcopis, Presbyteris, ſeu cæteris Eccleſiaſticiſ Ordinibus; Principibus, Ducibus, ſeu Comitibus; vel cunctis Chriſtianiſ Dei fidelibus; pro, &, atque. & ſimilia, quæ cum hac admonitione reliqui.

7. Frequens eſt in hoc opere, infinitiuos Actiuos pro Paſſiuis ponere; ut, curauit hic interſerere, pro, interſeri: in literis inſtruere iuſſit, pro, inſtrui: priuilegia iuſſit deſcribere, pro, deſcribi: præcepit eum erudire, pro, erudiri: & ſimilia, quæ intacta reliqui, quia aliqua ratione adhuc tolerabilia ſunt

sunt, & interpretatione iuuari possunt.

8. Obseruandum etiam est, in hoc opere frequenter Plusquamperfecta Coniunctiui pro Præsentibus poni, sic: quatenus Legatio crescere in Gentibus potuisset, pro, posset: item debuisset, pro, debeat: cœpissent, pro, cœperint. Ex aduerso: impleret, pro, impleret vel impleuerit: redimeret, pro, redemerit: præpararet, pro, præpararit: haberet, pro, habuerit; & similia, quæ cum hac admonitione reliqui.

9. Inuenias etiam non rarò Deponentia Passiue posita; vt conaretur, protestarentur, & similia, quæ non expunxi.

10. Placitum frequens est, pro Consilio & Consultatione, in qua quid omnibus placeret, & quærebatur, & inuentum promulgebatur, quod adhuc hodie apud Belgas Placatum dicitur, apud nos Patentum, quia in patenti & plana forma describitur vt templorum, portarumque valuis, & aliis tabulis affigi possit ad publicam notitiam: ideo Placiti vocem semper Maiusculâ scripsi, vt Lector de singulari significatione moneretur.

11. Missus etiam pro Legato, frequens in hoc opere est; sicut nos Germani adhuc dicimus, *Ein gesanter* / à mittendo: etsi autem Legatus, à legando, quod idem est atque mittere cum mandato, nil aliud sit quàm Missus in hoc tamen opere ita ferè distinguuntur, vt Legatio ad Euangelij prædicationem

tionem, Missio verò ad alias res externas applicetur; ideò & has voces maiusculis lectoris gratiâ scripsi.

Notæ Verbales in Vitam S. VVillehadi.

12. Cap. 2. §. *Accessit.* Rex Angliæ, à quo S. Willehadus veniam ad Frisios Euangelizandi causa eundi impetrauit, appellatur Alachrat, Zachar. autem Lippeloo, & Franc. Haræus in Vitt. SS. 8. Nouembris, eum appellant Alachintum.

13. Cap. 3. §. *Nam &.* Illi voci, Nam, aliquis superscripserat, Tunc: quorum vtrunque quidem verum est; ego tamen malo ipsum primum textum retinere, quia nullum incommodum habet, & causam alteram reddit, præcessit enim prior, cur S. Willehadus diu isto loco manserit.

14. Cap. 3. 4. 5. 6. S. Willehadus ex Angliâ soluens & in Frisiam appellens, primum venit Docyncyrcam in pago Hoftracha, vbi olim Dominus Bonifacius Episcopus martyriatus erat; Franc. Haræus appellat Dockinge, hodie dicitur Dockum: hoc Zachar. Lippeloo totum omisit. Inde venit trans fluuium Loucke in locum Humarcha: illi fluuium Lauinca, & locum Huchmarcke appellant. Inde venit in Thrianta: illi Drentiam appellant; hodie adhuc Drente dicitur. Inde venit in VVigmodiam, quod omnes habent: quæ autem VVigmodia sit, adhuc compertum non ha-

non habeo; puto tamen ex huius historiae lectione, esse tractum illum trans Visurgim Saxonicum, qui iam Verdensem & Bremensem Episcopatus habet.

15. Cap. 4. §. *Inde*. Illud, potuissent, relinquendum est, & non scribendum, possent: non enim consenserunt eius prædicationi, sed eum eiecerunt ex finibus suis.

16. Cap. 7. §. *Qua*, & §. *Siquidem*. Aliquis finalem syllabam, gen, ascripserat, sic: Vtriustringen, Cibhriustrigen: sed ego priorem scripturam retinui; quia illa terminatio, gen, non est antiquorum Frisonum sed noua.

17. Cap. 8. §. *Quo facto*. Aliquis in voce, Langobardorum, supra a scripserat o, ut Longobardorum esset: sed vetus scriptio videtur melior, quia ex duabus Germanicis vocibus nomen compositum est, lange Wârter / à longis barbis sic dicti. Nisi malis à genere armaturæ acutæ, bipenni, Von einer Langen Warten / deducere, quam nos adhuc à splendore ferri, eine Helle Warte / appellamus: instrumentum enim minutissimum quo ligna findimus, asciam, quam aliqui ein Weil dicunt, adhuc vocamus eine Warte. Vtrouis modo deriuus, semper à lang est: à Latino enim, longus, non facillè deduces, quia diuersarum linguarum voces, etsi aliquando, non commodè tamen in vnam compo-
hantur.

18. Cap. 8. §. *Quique*. Hic aliquis ex illo;
inclaui-

inclausus, a raserat, vt esset, inclusus; sed ego retinui prius.

19. Cap. 9. §. *Posthac*. S. VVillehadus vocatur speculator deluper intentus; hodie dicitur Superintendens: quod nomen Nouatores nostri libenter vsurpant loco nominis Episcopus. quod etsi in Scripturis Sacris exrat, ex odio tamen Catholicorum illi refugiunt.

20. Cap. 8. §. *Nisi*. Illi voci, valitudines, quæ vtrunque valetudinem, secundam & aduersam significat, aliquis præscripserat in, vt esset in valiudines; quo opus ob dicta non fuisset: siue etiam valetudo, siue valitudo dicatur, perinde est; malim tamen à valere valetudo dicere. nihilominus cum reliquis reliqui.

21. Cap. 11. §. *Posthac*. Pleccateshem: nunc dicitur Plexem, quasi Pleccensee; & est ibi in Visurgi, infra Bremam & nouum eorum portum Fegefack, secura nauium statio.

22. Cap. 11. §. *Quorum*. Plebs, quæ parere videbantur. Aliquis illud n̄ superius & inferius induxerat, tanquam abundans: sed videtur bene posse in plurali retineri; cum Plebs Collectiuum sit, aut sic: Quæ, scilicet plebes, parere videbantur. habebat enim sub se plures, vt supra patuit.

23. Cap. 11. §. *Noli*. Noli me auocare. Hic aliquis superscripserat syllabam re, qui legere maluit reuocare: sed perinde est, retineo prius.

24. Cap.

24. Cap. 13. §. *Reuera*. Hinc translati. Ergo describit hic S. Ansgarius illa potissimum S. VVillehadi miracula, quæ post eius obitum contigerunt; & quidem illa, quæ post secundam eius translationem, ab anno Christi 860. vt cap. seq. 14. patet. Nam & quædam miracula statim post mortem eius contigisse supra. cap. 12. auditum est.

25. Cap. 14. §. *Et sicut*. Ista vox, quæ, in posteriore sui parte rarsa erat; fuerat enim, quæque; & rectè, vt textus & sensus ostendunt.

26. Cap. 15. mirac. 4. §. *Porro*. Illud, n, in perungente, aliquis radere cœperat, vt esset, perurgente; & non malè: est enim scriptoria menda.

27. Cap. 15. mirac. 4. §. *Hanc*. Illam vocem, Hanc, quidam raserat, vt esset, Hac, scilicet audita miraculorum virtute: sed minus rectè, vt ipsa loci inspectio demonstrat.

28. mirac. 11. §. *Ultra*. Vltro scriptum erat; sed debet esse ultra: Vltro enim causandi Aduerbiu[m] est, & significat quod non extraneo, sed interno principio spontaneè mouetur; Ultra verò Aduerbiu[m] est loci, & significat Porro, ex hoc loco in alium tendens, vt hic.

Nota Verbales in vitam. S. Ansgarij.

29. In descriptione Capitulorum Vitæ S. Ansgarij, cum ad numerum Capituli septimæ deuentum esset, error à scriptore in numero

commissus erat, qui pro septenario senarium repetierat, necessarioque corrigendus erat; quia in ipsa re nihil immutat, & totius macula libri fuisset.

30. In Præfatione §. *Inter*. Sentimus quid amiserimus & quid dolere debeamus: pro quod, rectè me scripsisse puto.

31. In Præfat. Vitæ S. Ansgarij est hic §. Nos itaque inter formidolosa pericula suspirantes, licet multiplicia mala tēporaliter timeamus. diuinum tamen adiutorium nobis licet indignis non defuturū credimus (Verba sunt Filiorum & Discipulorū S. Ansgarij, querelas super eius morte fundentium, ad Patres & Fratres Corbeiensēs, vnde S. Ansgarium acceperant.) Hunc §. aliquis suā manu sic correxerat: Nos itaque inter *hæc* formidolosa pericula suspirantes, licet multiplicia mala temporaliter *timeamus*, ad diuinum tamen nobis *subsidium* *recurrendum* *scimus*, & *misericordiam* eius nobis licet indignis non defuturam credimus. Quod annotare volui, si fortè hic Codex Copia sit alicuius prioris Autographi, in quo sic habeatur. Quod tamen non existimo propter plura talia, quæ diuersis manibus à Lectoribus pro suo cuiusque arbitrio sic adscripta postea sequentur. Et hic emendator videtur phrasin corrigere voluisse; quæ tamen pro temporum istorum ratione, & adhuc satis bona est: quis enim illud; diuinum nobis adiutorium non defuturum credimus;

dimus; etiamnum reprehendat? Meo igitur iudicio ipsum textum huius primi scriptoris retinendum censeo: præsertim cum ille ab annotatione hac nihil diuersum contineat. Totum n. est querela de S. Ansgarij morte: hæc sunt illa mala, quæ eos premunt, & quæ deflent; quibus addi possunt & illa, quæ ipsorum ouile destitutum pastore inuadere possent.

32. Cap. 1. in fin. Humanâ subripiente fragilitate. Aliquis in margine adscripserat, sur repente, quod commodius videtur, ego scripsi, subrepente.

33. Cap. 2. §. *Sicquid*. Vbi de Ansgario adhuc puero scriptum est: Omni postpositâ leuitate compunctionis diuinæ cœpit amore languescere: aliquis pro, compunctionis, in margine adscripserat, consolationis; sed prius illud rectius est, quia B. Mater Domini, vt est in præcedente capite, eam compunxerat potius, quàm consolata erat, dehortans nempe à vanitate huius mundi. Et postea cap. 4. in fin. hæc vox compunctionis expresse circa eandem materiam habetur.

34. Cap. 2. §. *Circa*. In his verbis: Circa sedentes (scilicet viginti quatuor Seniores) splendor similis arcui nubium tenebatur: aliquis illud, tenebatur, correxerat & fecerat, tendebatur. Ego existimo illud, tenebatur, retinendum esse, quia in primo textu est, & nihil incommodi habet. Etsi enim splendor ille instar iridis circa sedentes, tendi, possit

dici; commodè tamen etiam, teneri, hoc est, consistere & esse, dici potest.

35. Cap. 6. in princ. Herioldus Rex Daniæ. Quidam Arioldum, quidam Arialdum scribunt: cum hoc S. Ansgarius primùm in Daniam venit, tamquam eius moderator & sacrorum minister. Vid. Baron. ad ann. Chr. 826. num. 26. vbi plura. Io. Adolph. Cypræus in Annalibus Episcoporum Slesuicensium cap. 1. eum Haraldum vocat: à quo prima semina Christianæ Religionis, in Dania & Septentrione iacta sunt; qui tamen postea teste Saxone apostata factus est. Aliter etiam Klagus dicitur.

36. Cap. 6. §. *Qui sperans*. Prosperans, fortè legendum est, suspicans. Reliqui tamen illud, sperans: cum & Poëta dixerit; Tantum sperare dolorem, pro expectare seu timere.

37. Cap. 6. §. *Erat autem*. & cap. 7. §. *Cum itaque*. Frater Monasterij Corbeiensis, qui primus cum S. Ansgario in Daniam iuit, nomine Audbertus, in textu fere semper scribitur Authbertus, qui in recensione Capitum supra, Audbertus scriptus erat: quæ postrema scriptio, cum melior videatur, quasi sit Audebertus, aut pronunciatione Belgica Aldeberrus, à me retenta est. Gauthbertum autem cap. 12. & seqq. ita per th semper retinui: dictum quasi Goltbarr.

38. Cap. 10. §. *Cum graui*, Rex Suediæ
qui

qui hic Bern appellatur, aliàs etiam Biornius dicitur: quod idem nomen est, iam Germanicam, iam Latinam nomenclaturam sapiens. Vid. Cyprium cap. 1. Annal. Episcop. Slesuicenf. pag. 11. Eidem ibidem Herigarius noster Hirtgerius dicitur.

39. Cap. 11. in fin. Quidam in margine adscripserat, hic: quam voculam, vt impertinentem, in textum intrudere nolui. Fortè liber cum ab hoc notatore legeretur in Thurholt fuit.

40. Cap. 17. §. *Ipsè est*. De Christo Domino, qui scemina bona sua pauperibus in eleëmofynam eroganti, domi omnia restituerat, sic scriptum est: *Ipsè est omnibus sufficiens, omnibus indiget*. Si hic in voce omnibus indiget, non est menda scriptoria, pro, *nullius indiget*; sic accipiendum videtur: ipse in persona pauperum suorum indiget; iuxta illud: *Quod, vel Quantum, εφ' ὅσον, fecistis vni de his Fratribus meis minimis, mibi fecistis*. Matth. 25. 40. Et istam beneficentiã Christus non in futuro tantum, sed in hoc etiam seculo largiter compenaturus est; quod sic promisit: *Omnis qui reliquerit domum, - - - aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*. Matth. 19. 29. Quod exemplum viduæ Sareptanæ nobis comprobatur, quæ pugillum farinae & paullulum olei, de quo ultimo cum filio suo comedere & deinde mori volebat,

Prophetæ Eliæ esurienti & petenti impendit; & iuxta verbum Domini non defecit ei farina & oleum vsque dum annonæ caritas defineret, & Deus pluuiam daret 3. Reg. 17. 12.

41. Cap. 19. circ. princ. Aliquis ad ea verba, vnde ei solatium facere posset, adscripserat, subsistendi: sed illa vox interpretationis tantum est non textus. Adscripserat ille idem in margine ad proximè sequentia verba, Quo Legationis suæ mandata melius adimplere posset hæc verba; Et quia in hac Prouincia Cellam nullā habebat huic Legationi congruam: quod etiam ad textum non pertinet, & à me ommissum est. Solatium autem hic non tantum subsistendi, sed generaliter quoduis intelligi, facilè ex ipsis his verbis videas; Quo Legationis suæ mandata melius adimplere posset: quæ non tantum subsistendi locum, sed quoduis aliud subsidium significant. Atque ita supra cap. 11. in fin. duæ assignantur causæ, cur S. Ansgario ab imperatore Ludovico Cella Thurcholt data sit: prima propter barbarorum sæuitiam, vt refugij locum haberet: secunda propter paruitatem Dioceseos Hamburgensis, quæ ei sumtus necessarios suppeditare nequibat.

42. Cap. 19. in princ. Ludovicus Imperator. ille qui Bremensem Episcopatum S. Ansgario in solatium adiecit, dicitur Senior; cum in rubrica superius Iunior dictus, & reuerà patre suo Ludovico iunior esset. Quid hic sentiam?

sentiam? Puto eum esse ætate iuniorum, utpote antecessoris sui patris Ludovici filium successorem: sed Seniore[m] dici honorificè, honoris titulo; ideo non dicitur, Senior Ludovicus, hoc enim stare non posset, sed Dominus & Senior noster, hoc est, noster Antecessor & Princeps.

43. Cap. 22. §. *Audite Insula*. Aliquis super me, meæ, & mei, scripserat te, tuæ, tui, respiciens sine dubio ad sequentia, in quibus ita est Sed te, pie Lector, Pronominis hæc variatio mouere non debet: prius enim; Dominus ab vtero vocauit me; B. Adalhardus de se dicit: posterius autem, Et posuit ostium quasi gladium, de S. Ansgario. Quod autem subiungitur; verbum hoc, *Audite, Insula* ad S. Ansgarium dictum esse; hoc verum est, sed ita, ut Beatus Adalhardus illud quidem ad S. Ansgarium dixerit, sed de se loquens, qui voluntatem Dei de his Insulis ei aperiat.

44. Cap. 23. §. *Aduenientes*. Illud, & qui cum eo erant, ego adieci, ob vocem, Aduenientes quam corrigere nolui; quia postea vidi & alios cum eo venisse, non ipsum fuisse solum.

45. Cap. 24. §. *Quare ergo*. Post illud, suscipiebant, aliquis scripserat hæc verba: Nam multæ interiarent insidiæ, & piratarum infestatione periculosum valdè nobis iter illud factum est, quæ nolui textui interserere, sed de eis hic potiùs monere.

46. Cap. 25. §. I. Post illud, quicumque vellet,

O 5

let,

let, aliquis interferendum censuit hoc; sine contentione: quod etiam moneo. Ibid. §. *Cui*. Post alterum, adiecit quidam, cum domo.

47. Cap. 27. §. *Cum iam*. Post, corde, aliquis adscripserat, expauescens: quod mihi videtur omitti posse, quomodo à primo scriptore omissum est. Ibid. §. *Ecce naues*. Post, delebunt, quidam adscripserat; Quæ ergo nobis erit spes? quod abundare iudico. Ibid. §. *Nobis*, Post, Danorum, quidam addiderat, præterito anno: quod mihi omitendum videtur, cum non constet, an eodem anno factum sit.

48. Cap. 30. §. *Studebat*. Aliquis hic adscripserat: ipse sibi in oculis suis; & videbatur quia taliter abstineret. de quo monere volui: ego textum retinui.

Nota Verbales in Vitam S. Rimberti.

49. Initio Prologi, transtuli illam Coniunctionem, &, ex loco ubi abundabat, inter vitam, & cum omni, ac transtuli eam ad, quæ officij, ubi desiderabatur.

50. Cap. 2. in fin. iam sequi incipiamus: id est, iam incipiamus facere aut scribere ut sequatur.

51. Cap. 11. Vbi nostrum exemplar habet, Luitbertus Mogoriensis Archi-Episcopus, Zachar. Lippeloo & Franc. Haræus in vit. SS. scripserunt, Luitbertus, 4.

Februarij.

Nota

Notæ Verbales in appendicem.

52. In fine Decreti Papæ Pascalis, in Anathemate, omiſſa particula, &, omnem ſenſum turbabat, quam idcirco adieci, ſic: & his vel cooperatoribus eorum, intellige laborantes in fide propaganda per Septentrionem.

53. In fine Epistolæ Sergij Papæ ad Hogerum Archi-Epiſcopum Hamburgensem, interiecta est vocula, tu, ſic Sergij Summi Pontificis & vniuerſitatis tu Papæ VIII. Iſtam omiſi, quia omninò redundat, & ſcriptorum mendum eſt.

Notæ reales in Vitam S. VVillehadi:

54. Cap. 1. Sanctum Anſgarium ſcripſiſſe Vitam S. VVillehadi, clarum eſt ex cap. 13. in princ. vbi ipſe ſuum nomen exprimit, & ad vniuerſos per orbem fideles ſcribit

55. Cap. 10 §. *Ædificauit*. Illa ædes, quam ædificauit S. VVillehadus, in hodiernum vſque diem ſalua ſtat: niſi quòd à loci Magiſtratu A catholicis in Lupuli domum mutata eſt, iſt zum hoyffenhaus gemacht / & hac quoque iam voce dicitur; qualis domus antea fuerat inferius ambulacrum in ipſorum Curia, quod etiamnum antiquum nomen apud plebem retinet. Fuit etiam antè ædem hanc inter illam & ſummam Baſilicam, proximè ſtratum publicum, profundus puteus à Sancto Viro constructus; qui ab eo hucusque S. VVille-

VVilleshadi fons seu puteus, S. Willhadis
 Good oder Pils / appellatur: hic à multis cre-
 ditus est, experimentis quoque compertus,
 febres aliosque morbos aquæ suæ potione
 miraculosè curare, quod famâ istic loci ad-
 huc vulgatissimum est; & ego noui aliquem,
 qui eius aquæ haustu liberaliore à vehemen-
 tissimâ & tantùm non lethali febre continuâ
 causticâ subito conualuit.

56. Cap. 11. in fin. & 12. post princ. dicitur,
 quòd S. VVilleshadus sepultus sit in ea Basi-
 lica, quam ipse ædificauerat, & postea trans-
 latus in alteram Basilicam temporibus suc-
 cessoris VVillerici Episcopi: Adamus autem
 Bremensis Canonicus ait; S. Ansgarium trās-
 tulisse Corpus S. VVilleshadi in matricem Ec-
 clesiam B. Petri Apostoli ab illo Australi O-
 ratorio, quò deportatum erat à VVillerico,
 citante Baron. ad ann. Chr. 858. num. 16 vide
 etiam Crantz. Metropol. lib. 1. c. 41. Ipse S.
 Ansgarius ait in fin. miraculorum S. VVille-
 hadi: Se Corpus S. VVilleshadi, quod iam
 tunc à loco requietionis suæ in alteram trans-
 latum fuerat Basilicam, in nouâ quam tunc
 dedicabat, collocâsse Basilicâ. Hic sciendum,
 S. VVilleshadum ædificasse ligneam Basi-
 cam, quam VVillericus lapideam fecit, & i-
 dedò Corpus S. VVilleshadi in Australe illud
 Oratorium, quod fecerat, transtulit: vnde S.
 Ansgarius illud retulit in Summam illam &
 lapideam Basilicam, quæ hæctenus indedicata
 fuerat,

fuerat, & ipse dedicauit, vide Adamum, Crantzium, Durium, & vitam S. VVillehadi cap. 21.

57. Cap. 14. notatur tempus quo S. VVillehadi miracula illa post mortem eius inceperint, annus Christi 860. Adamus autem Bremensis loco prius citato ponit annum 861. Quæ quidem parum differunt: sed cum reprehendat Baronius Crantzium, quòd annu Consecrationis S. Ansgarij, in Archi-Episcopum, teste Adamo Bremensi, 862. produxerit vno anno in 863. & ex eâ causâ reprehendat, quia dicti Autoris (Adami) antiquitas præferatur, quâ ille sibi fidem maiorem conciliet; cur non & nos S. Ansgarium tanquam Vitæ & Miraculorum S. VVillehadi Autorem ab antiquitate & *autoflav* Adamo præferamus. Vid. Baron. ad ann. 832. num 7. in fin.

58. Cap. 17. mirac. 10 Confirmatur, quod Baronius ad ann. Christi 858. num. 16. ex Adamo Bremensi citat: Si temporum, inquit, seriem diligenter computemus, ipsum est tempus, quo in Saxoniam translatus S. Alexandri contigit. Ipsum scilicet tempus, quando post translationem Corporis S. VVillehadi in summam Basilicam miracula frequentia fieri incipiebant: inter quæ & huius S. Alexandri mentio est. Quis autem hic S. Alexander fuerit, vnde, a quo, quò, & cuius autoritate translatus sit, vid. Baron. ad ann. Chr. 855. num. 28.

Nota

Nota reales in Vitam S. Ansgarij.

59. De hactenus desideratâ Vitâ S. Ansgarij, sic benevolus Lector habeat. Trium horum Sanctissimorum Episcoporum, VVillehadi, Ansgarij, & Rimberty, Vitæ olim non ut hic in nostro Hamburgensi Codice coniunctim, sed separatim extiterunt. Vnde factum, ut extantibus S. VVillehadi, & S. Rimberty vitis, ex quibus Haræus, Lippeloo, Menardus, Vastouius, verbotenus omnia desumserunt, quæ de eis tradiderunt, S. Ansgarij Vita etiâ à diligentissimis veteris historiæ inquisitoribus putata sit amissa, quandoquidem in ipsorum manus venire non potuit, nec de ipso aliud scripserunt, quàm quod ex Vitâ S. Rimberty eius Discipuli & successoris, Adamo Bremensi, alijsque Saxonice scriptoribus Cranzio & Surio, carptim excerpere potuerunt. Et hoc Cæsari etiam Baronio accidit, qui non semel de hac iacturâ conqueritur. Ad ann. Chr. 826. num. 37. sic de hac re scribit: *Res gestas S. Ansgarij scriptis mandatas esse à S. Rimberto eius discipulo & in Ecclesiâ Successore, auctor qui res ipsius S. Rimberty conscripsit testatur: sed quod sciamus non extant; pauca verò tantum de eo in vita eiusdem S. Rimberty scripta reperiuntur, nec non apud eos qui sunt prosequuti res Saxonum.* Iterum ad ann. Ch. 858. num. 15. sic de eadem re habet: *Res præclarè gestas Ansgarij scriptis mandavit eque Sanctus eius successor Rimberty, qui de Vitâ eius librum conscripsit, sed magnâ iacturâ perditum*

ditum querimus: Ex eo tantum illa sunt nobis nota,
qua idem qui supra Adam suo Chronico intexuit,
&c. Reuerâ tamen non fuisse perditum, sed
adhuc alicubi latitasse, diligens Annalium
Episcoporum Slesuicenf. scriptor Paulus Cy-
præus, qui anno fortè 1609 obiit, vir sum-
mus, cap. 22. libri sui satis demonstrat: vbi
ex huius S. Ansgarij Vitæ Præfatione bonam
particulam iisdem ferè verbis, quæ Codex
noster Hamburgensis habet paulùm tamen
alicubi mutatis, citat; quem librum filius eius
Iohannes Adolphus Cypræus, postea Ca-
tholicus factus, Coloniae vulgavit, anno 1634.
Hunc igitur Vitæ S. Ansgarij librum à S. Rim-
berto conscriptum, cum vnâ cum SS. V Vil-
lehadî & Rimberti Vitis coniunctim per fi-
deles manus ad meas manus acciperem, non
potui nec debui aliter, quàm eum pro ho-
rum Sanctorum, præsertim Ansgarij, qui in-
ter eos eminet, & cuius ego panes aliquot
annis edi, honore, & publicâ Ecclesiæ utili-
tate, in lucem edere. Si qui fortè per Dei gra-
tiam Reges, Principes, Episcopi, Canonica-
tus, Magistratus, saltemue priuati homines,
memores esse velint vnde exciderint, pœnitentiam
agere, & prima opera facere; si super vias stare, &
videre, & interrogare de semitis antiquis, quæ sit
via bona & ambulare in ea vicissim cupiant, ve
inueniant refrigerium animabus suis, nec de se dici
patiantur, Non ambulabimus, Non audiemus. A-
poc. 2. 5. Ierem. 6. 16. Quin enim per hoc San-
ctissimos

ctissimos viros eadem Catholica fides & religio, quæ adhuc viget, autoritate & legatione Apostolicâ Romanorum Pontificum, ipsorum maioribus olim tot laboribus, periculis, & miraculis tradita, ab his auidè excepta & per tot secula exculsa sit, in dubium vocare nemo potest, sed nec ipsi iam vocant: & friuola vox est, dicere, Istos Apostolos suos, suosque maiores errorem errasse maximum, Antichristum & eius doctrinam prædicasse & suscepisse, cum se Christum eiusque doctrinam prædicare & suscipere putarent. Noli, popule mi, sic loquentes audire.

60. Cap. I. §. *Referebat.* Quoniam hic matris & patris S. Ansgarij, & cap. 6. etiam propinquorum, Fratris quoque Audberti nobilis prosapiæ, obiter mentio est, optassem ut tanti viri parentes nominibus suis, patria, & proauorum genealogia, more historico descripta essent: sicut & in Vita S. Vvillehadi, & S. Rimberti, in quibus humilitatis credo causâ hæc eadem similiter fere omisâ sunt. Siue enim ex clarâ, siue ex obscurâ familiâ fuerint, semper Dei per eos laus & gloria amplificaretur: ut qui ex tantis in tantum seipfos humiliarint, aut ex tantulis à Deo in tantum exaltati sint, ut etiam extrema pro nominis eius amplificatione pati sint ausi, & gratiâ eius suffulti nomen ipsius inter Gentes, quas Apostolorum instar ad Christi fident

fidem conuerterunt, magnum & gloriosum fecerint. *Benedictus Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in caelo & in terra! suscitans à terrâ inopem, & de stercore erigens pauperem: vt collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi sui. Ps. 112. 5.* Quod his benedictis viris à Deo factum esse viderur, qui, sicut Apostoli Domini nostri ex piscatoribus assumpti, sic & ipsi ex ignobilibus fortè, honestis tamen familijs in Apostolorum successores vocati, per prædicationem, fidelitatem, & labores suos populorum Septentrionalium Principes constituti sunt, & confortatus, magnificatus, atque multiplicatus est Principatus eorum vehementer. Quò magis dolendum est, quòd nostris & patrum nostrorum infelicibus illis temporibus per ineptissimas Hæreses ista omnia ab ipsis ædificata succiderint, & quæ fors supersunt, ita defœdata sint, vt præstabilius istis populis esset, si hucusque Christum non agnouissent: facilius enim ad sanam & Catholicam eius fidem conuerti possent, sicut ipsorum maioribus olim factum fuit. Faxit Deus, vt horum Luminum suorum, qui Christi salutarem notitiam eis primi præluxerunt, contemplatione, ad ipsorum vestigia rursus sequenda excitentur.

61. Cap. 2. §. *Sed neque.* Mirari aliquis possit, quomodo S. Ansgarius in Visione Maiestatem Domini nostri Iesu Christi contem-
 P plans.

plans, dicere possit; Claritatem circa eum talem non fuisse, qua oculos contemplantium impediret, sed qua oculos gratissimè satiaret: Cùm paulò antè de seipso dixerit; in ipsa immensitate luminis, quid intus haberetur, contemplari se non potuisse, sed tantùm superficiem intuitum esse, & credidisse Dominum Iesum Christum esse, & postea cap. 3. dicit; se præ nimio splendore ex oculis Christi sibi apparentis emicante in faciem eius intendere non valuisse. Respondeo: Sanè inhabitat Deus lucem inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest; & sic S. quoque Ansgarius, etsi in spiritu erat, oculis tamen corporeis & mortalibus videre sibi est visus; quomodo claritatem Maiestatis Christi & immensitatem luminis illius nec exhaustire nec penetrare potuit, nec apparentis etiam splendorem faciei sustinere. Hæc tamen omnia ita facta sunt, vt non impedirentur oculi eius, sed gratissimè satiarentur; hoc est, vt non inde obfuscatio, dolor, & tædium ei fieret sicut nobis fieri solet solem intentius intuentibus, sed facta est ei potius clarificatio, grata recreatio, & desiderium magis magisque videndi. Ex illa gratissima satiacione colligere est, quomodo illud impedimentum accipiendum sit.

62. Cap. 2. S. Cùm itaque. De Martyrio S. Ansgarij legitur, quòd, cùm Maiestatem Dei videret, vox ad eum facta sit, dicens: *Vade,*
 & *MAR.*

& Martyrio coronatus ad me reuertèris. Iam ille non est gladio, aut alio violento modo ob fidem Christi à tyrannis occisus, quales propriè Martyres dicuntur; sed in lecto suo inter manus suorum dysenteriâ solutus est. Igitur autor Vitæ eius S. Rimberrus in fine eiusdem cap. 2. exponit hoc Martyrium de mortificatione Crucis, quam iugiter in suo corpore pro Christi nominis honore portauit. Et cap. 33. eum infirmitate proprii corporis penè assiduè laborâsse dicit, vt omnis vita eius ferè Martyrium fuerit. Cumque in eodem cap. 33. vltimò decumbentè consolari vellet, ad memoriam eius reuocare studuit, quantum in Dei Seruitio, quantamque corporis sui pertulerit molestiam, & quòd etiam ipsa infirmitas nouissima, grauis nimium & diutina, satis ipsi pro Martyrio reputari possit. Quæ mihi non displicent: infirmitates enim corporis sui patienter ferre, affectus suos mortificare, iniurias hostium libenter sustinere, eaque omnia ex dilectione Dei, pro nominis eius honore, & propter fidem Christi aut plantandam aut conseruandam, spirituale quoddam, etsi non sanguinis, Crucis tamen sunt Martyrium. Siquidem Martyrem non tam pœna facit, quàm causa; vt rectè Gregorius dixerit: Sine ferro Martyres esse possumus; iniurias enim tolerare, inimicum diligere, secretum Martyrium est. Et sanè *μαρτύριος* testis est, & *μαρτύριον* testimonium.

P a

stimo-

timonium, quod cum Deo & Christo per
 omnes incommoditates nostras reddimus,
 Martyres sumus. Sicut ipse S. Ansgarius su-
 pra cap. 4. vidit, Fulbertum discipulum suum
 à condiscipulo ad mortem vulneratum, ip-
 sum vsque ad mortem dilexisse & pro eo
 orasse, & propterea inter Martyres in cœlo
 collocatum esse. Addo tamen ad prædicta
 & hoc: Si quis propter fidem Christi, præ-
 dicationem Euangelij, ædificationem Eccle-
 siæ, & in summa Dei gloriam & honorem,
 paratus sit mortem etiam crudelissimam
 & turpissimam sustinere, modò ei hæc
 necessitas incumbat, & Deus eum hoc glo-
 riæ gradu dignari velit, hunc coram Deo ve-
 rum Martyrem esse, etiamsi tale Martyrium
 coram hominibus non experiatur. Et sic S.
 Ansgarius, cum in Suedia diabolicus aliquis
 propheta omnem populum planè confudif-
 set errore, & contra virum Dei concitasset,
 dissuadentibus ei amicis hac vice prædicatio-
 nem, & suadentibus, si quid haberet precij,
 eâ ratione daret Regi: vt vitus inde euade-
 ret: Non, inquit, pro vitæ meæ redemptione
 aliquid hic daturus sum; Quia si Dominus
 Deus meus ita disposuerit, pro eius nomi-
 ne paratus sum hic & tormenta subire &
 mortem pati. cap. vitæ eius 23. Hic verè fuit
 Martyris in Confessore animus, in cœlesti-
 bus non Confessoris tantùm, sed & Mar-
 tyris præmio dignus! Sic tres pueri in for-

nace ignis, Daniel in lacu leonum, Iohannes Euangelista in cado serpentum, & feruente oleo, Martyres fuerunt, & inter eos numerantur, etsi singulari Dei consilio cum vita euaserint. Voluerunt enim pro Deo vitam suam dare, & ea confidenter aggressi sunt ac constanter pertulerunt, quæ mortem inferre poterant.

Non possum, quin huc referam pertinentissima verba S. Cypriani Episcopi Carthaginensis, quibus Lucium Papam Romanum ab exilio reuersum alloquitur & laudat lib 3. Epist. 1. Apparet relegationem vestram sic diuinitus esse dispositam, non ut Episcopus relegatus & pulsus Ecclesiæ deesset, sed ut ad Ecclesiam maior rediret. Neque n. in tribus pueris minor fuit Martyrij dignitas, quia morte frustratâ de camino ignis incolumes exierunt: aut non consummatus Daniel extitit in suis laudibus, quia qui leonibus missus fuerat ad prædam, protectus à Domino vixit ad gloriam. In Confessoribus Christi dilata Martyria non meritum Confessionis minuunt, sed magnalia diuinæ protectionis ostendunt. Repræsentatum in vobis videmus, quod apud Regem fortes atque illustres pueri prædicauerunt: Ipsos quidem paratos ardere flammis, ne dijs eius seruirent, aut imaginem quam fecerat adorarent; Deum tamen quem colebant, quemque & nos colimus, potentem esse ut eos de camino ignis

eximeret, & de Regis manibus ac de pœnis præsentibus liberaret. Quod inuenimus in Confessionis vestræ fide, & in Domini circa vos protectione gestum vt cum vos parati fueritis & prompti, omne subire supplicium, Dominus tamen vos pœnæ subtraheret & Ecclesiæ reseruaret. Regredientibus vobis breuiata non est Episcopo Confessionis suæ dignitas, sed magis creuit Sacerdotalis auctoritas, vt altare Dei assistat Antistes, qui ad Confessionis arma sumenda & facienda Martyria, non verbis plebem, sed factis cohortetur, & imminente Antichristo paret ad prælium milites non solū sermonis & vocis incitamento, sed fidei & virtutis exemplo. Hætenus Cyprianus planè in sensum nostrum.

63. Cap. 11. in fin. Cella Thurholt S. Ansgario ab Imperatore Ludovico donata in Gallia esse dicitur. Et hinc oriundus erat S. Rimberty, vid. c. 3. vitæ eius. Nec minùs tamen ex Gente Danorum progenitus dicitur, vitæ S. Ansgarij cap. 29. Quomodo hæc conueniant? nisi parentes Rimberty natione quidem Dani fuerint, & tamen in Thurholt Galliæ habitârint, possidente nimirum illud S. Ansgario.

Huius Cellæ Thurholt mentio est in vita S. Allouini, dicti Bauonis, talis quidem, vt agnoscere sit, eam in Flandria non longè à Ganda nunc Gandauo germ. Gent / fuisse. Cum enim vir deuotus ad B. Anandum Gandam

dam, illius Ecclesiæ fundatorem & primum
Episcopum venisset, ab eoque solemniter in
Cleri Ordinem receptus esset; postea varia
loca piè visens, & aliqua etiam habitans,
comperto quòd B. Amandus Monachus in
Gandensi Ecclesia substituisset, ad locum pro-
fessionis suæ redijt, ibique sub Abbate Flo-
riberto solitariè in propria cellula mirè vi-
uens, tandem lectum ægritudinis incidit,
quam tamen longè antè prævidit & prædi-
xit. De morte eius hæc habentur concepta
verba, apud Francisc. Haræum, qui Vitas
Sanctorum potissimū ex Aloysio Lipomano
& Laur. Surio, huius autè Sancti ex Theo-
dorico Abbate Sancti Trudonis collegit, &
descripta est 1. Octobris. De egrotante sic
ait: Familiarem habebat Dominum Thur-
holtensis Ecclesiæ Presbyterum. Vocatur fa-
mulus, & ad requirendum eum festinare ius-
sus, incipit velle ire quòd nesciebat. Sed adest
derepentè Angelus Domini; ipse comitatur,
ipse Thurholt usque deducit; & exposito
negocio, Presbyterum assumit, & recomi-
tatur. Hunc vir scilicet Domini inter loquen-
dum secretum habuit: huic curam funeris sui
vt haberet iniunxit: huius postremū officio
communicavit, ac sic paulò post Spiritū de hu-
ius fecis luto felicissimè efflauit. Aderat tū in
præsentiarum, & S. Episcopus Amānus, & Ve-
nerabilis Abbas Floribertus: qui & ipsi cellu-
lam ingressi, cernunt mirabilia Dei in mar-

tyrio militis sui, &c. Monasterium autem Oratorium & Cellam dici, patet ex Vita S. Gerardi Abb. Bromensis, quam descripsit Gonterus Abbas, & Haræus compendiosè repetijt, 3. Octob. his verbis: Erat tunc, sicut est etiamnum hodie Oratorium eo in loco (Bromij) quem alij Cellam, alij Vttdungum vocât. Hic Clericorum instituitur, quod initio ipse eò introduxerat (cùm adhuc in seculo Comes esset), inde remouit (ob temeritatem scilicet eorum, non bonam vitam, & retrû malæ illorum famæ odorem, quæ postea describuntur), & Monasteriû Ord. S. Benedicti illi substituit, (postquam eiusdem loci Abbas factus esset.)

64. Cap. 12. Et in rubrica & in textu huius capituli Gregorius hic Papa, qui ad Ludouici I. petitionem S. Ansgarium Archi-Episcopum confirmauit & ei Pallium dedit, scribitur fuisse Gregorius I. quod ego fidèter expunxi, tanquam errorem scriptoris, qui II. legit cùm IV. essent. Est enim Gregorius IV. qui cum Ludouico I. vixit; à Gregorio autem II. vsque ad Pascalem, à cuius prædecessore Ludouicus primus nouiter Imperator coronatus erat, intercedunt anni circiter centum; quo tempore nondum Carolus Mag. multò minus Ludouicus eius filius fuit. Huius Ludouici hic noster Gregorius in Decreto suo, infra in Appendice, expressè mentionē facit, sicut & Ebonis Archi-Episcopi Rhemensis, cuius & Ansgarius & Pascalis Papa, Gregorio IV. prior, in suis Epistolis

stolis mentionem fecerant. Accedit testimonium ipsius Ludouici I. in suo Præcepto, cuius Imperij anno 21. hæc gesta sunt: & testimoniū Baronij, qui clarè Gregorium I V. nominat ad ann. Christi 832. in princ. & num. 7. & Adamo Bremense Histor. Eccles. cap. 17. Et Crantzio Metropol. lib. 1. cap. 20. Et certè Gregorij II. tempore nec ipse Ansgarius in rerum natura fuit, qui tamen Romæ in Gregorij præsentia fuisse dicitur, quando eum confirmauit & Pallio donauit. vid. Gregorij decretum.

65. Cap. 12. sicut & in Appendice in Decreto Gregorij, vbi narrantur Regna, loca, & populi, ad quos S. Ansgarius missus est, non inueniuntur Sabeni, quorum meminere Baron. ad ann. Christi 826. num. 37.

66. Cap. 12. §. Cui etiam Locus ille transalbinus Welanao, in quo Cella esse data legitur Gauthberto adiutori S. Ansgarij, mihi videtur fuisse locus qui adhuc *Wehl* dicitur, aduersus & supra Stadam, infra Hamburgū, vbi etiam adhuc Rulandus superest: quales statuas multas Carolus M. in honorem consanguinei sui Rulandi, qui oræ Britanicæ Præfectus fuit, & cum exercitu ex Hispania in Gallias rediēs in pyrenæis montib. periit, & Rutlādus à Dionys. Patauio Rationarij temporum part. 1. c. 7. dicit hinc inde in locis quæ singularib. priuilegijs donabat erigi fecit Magdeburgi, Halberstadij, Bremæ, VVehlæ, Bråstedij in Holsatia, &c. Excellentissimū quem vidi, Bremæ est, qui præter

Galliarv. præter gladium etiam clypeum gerit, in cu-
diens in Py- ius margine hæc simplicitatis antiquæ verba
renais mon- aureis literis scripta sunt: Freyheit tho icf tu
ribus perijt, oppenbar/die R. Carl vnd manch Fürst furwar/
& Rutlan- Dieser Stadt gegeben hat / des dancket Gott
das à Dyo- daß ist mein rhadt.
nij. Patavio

Rationarij
Temporum
part. 1. c. 7.
dicitum.

67. Cap. 16. mirac. 1. Herigarius vrbis
 Birca in Suedia Præfectus, fidelis Christi ser-
 vus, cum popularibus suis de vero Deo cer-
 tans, tempore pluiæ, sic ait: Inuocate vos
 nomina Deorum vestrorum, ne pluuia super
 vos descendat; & ego inuocabo Deum meum
 Iesum Christum, ne aliqua stilla pluiæ me
 contingat: & si quis in hac parte se inuocan-
 tes exaudierit, IPSE SIT DEVS. Ipse sit
 Deus, inquit non quasi nouiter per eos fie-
 ret; sed quia ab ipsis pro vero Deo agno-
 scendus & habendus esset. Dij Gentium fa-
 cti sunt, noster autem Deus EST, cognosci-
 tur, & colitur. Simili planè phrasi, qua olim
 Elias Baaliticis prophetis dicebat: Inuocate
 nomina Deorum vestrorum; & ego inuocabo no-
 men Domini mei: & Deus qui exaudierit per ignem
 IPSE SIT DEVS. 3. Reg. 18. 24. Quod
 iam antè sic interpretatus erat, loquens po-
 pulo: vsquequò claudicatis in duas partes?
 Si Dominus est Deus, SEQVIMINI eum:
 Si autem Baal, SEQVIMINI illum. vers.
 21. & postea in precibus suis dicebat: exau-
 di me Domine exaudi me, vt DISCAT
 populus iste, quia tu es Dominus Deus.
 Vers.

Verf. 37. & ipse tandem populus ait: Domi-
 nus IPSE EST Deus, Dominus IPSE
 EST Deus. Verf. 39. Et sic hic quoque post
 exhibitum miraculum Herigarius dicebat:
 Ecce VIDETIS, quis SIT Deus! Similiter
 in sequenti miraculo orat ita: Domine mi Ie-
 su Christe, vt SCIANTE isti miseri, quia tu
 es Deus solus, & non est alius præter te.

68. Cap. 19. Habetur vtrumque, & quòd
 Bremensis Ecclesia Hamburgensi adiuncta
 seu vnita sit, & quòd ei subiuncta siue sub-
 iecta sit. Hæc quid differant, nemo non vi-
 det. Subiectioni consentit Bulla Decreti Pon-
 tificij à Nicolao Papa data, vt infra in Apo-
 pendice habetur, & in sequente cap. 20.
 verbotenus citata est; in qua Salomo Con-
 stantiæ ciuitatis Episcopus nomine Impera-
 toris petijt, vt Bremensis Ecclesia nouellæ
 Archi-Episcopali (Hamburgensi) *vniretur &
 subderetur* Sedi: & Papa respondit: Decerni-
 mus prædictas Dioceses, Hamburgensem &
 Bremensem, non deinceps duas, sed *vnam
 esse & vocari* (hæc est vnio & coniunctio, sed
 quæ alteri suberit?) *subdique* Sedi, quæ præ-
 decessoris nostri decreto Archi-Episcopali
 est munere sublimata. Hæc cum citra con-
 trouersiam Hamburgensis sit, subditur igi-
 tur hic ei Bremensis: quauis non vt tunc e-
 rat tota; sed restitutâ prius Ecclesiæ Ferdensi
 parte aliquâ inde ablatâ. quam ego Ramso-
 lam cum confinio suo esse autamo & ex A-
 damo

damo lib. I cap. 23. confirmo, ut vbi S. Ansgarius tempore exilij sui, cum à barbaris Hamburgo pulsus esset, habitavit, ibi Monasterium Canoniale erexit, quod adhuc est, & inde ad Ecclesiam Bremensem Præsule carentem Archi-Episcopus vocatus est. De hac præmentia & subiectione adhuc tumet aliquod olim conceptum vlcus in peccatoribus harum ciuitatum, quod ipsis sanandum relinquo. Hodie certè Archi-Episcopus Bremensis in omniũ ore est, de Hamburgensi Archi-Episcopatu nemo loquitur: imò videtur Hamburgensis Ecclesia Bremensi esse subiecta. Vid. infr. Not. 84.

69. Cap. 20. §. *Cum quo.* Habetur, quòd quia ipse Dominus Ansgarius per se non potuerit abire Romam ad consensum Papæ impetrandum super vnione Hamburgensis & Bremensis Ecclesiarum, suo loco directus sit Nordfridus Presbyter. Quod igitur infra in Appendice in Decreto Nicolai Papæ super hac eadem re, Pontifex quasi præsentem alloquitur, Prosopopæia est, non personæ coràm assistenti viuâ voce, sed Archi-Episcopo absenti per hoc Decretum fit: alloquitur eum Papa literis, non verbis. Priùs autem Papæ Gregorio præsens adfuerat, ut ex eius Decreto liquidum est, & ego in margine annotaui. Ab vtrisque enim his Papis, & confirmationem illam, & Pallium accepit, sicut Bullæ Decretorum ipsorum ostendunt.

70. Cap.

70. Cap. 30. §. *Iam verò*. Aquæ quam bibiturus erat aliquantulum de potu admiscuit, De potu, id est, de vino: vinum enim est naturalis potus hominis, sicut panis cibus. Psalm. 103. 15.

71. Cap. 30. §. *Specialius*. Illud Hospitale pauperum, quod S. Ansgarius in Brema constituit, duodecim fuit pauperum; qui reliquorum accedentium & recedentium curam gererent: & est posterioribus temporibus, cum opibus & viris idoneis creuissent, ab aliquo Catholico Archi Episcopo Brementi in Canonicatum duodecim personarum versum, qui adhuc in esse est. Splendidissimum est deinceps ædificatum Templum, turri præaltâ foris, & intus Organo præclaro ornatum, & adhuc ad Sanctum Ansgarium dicitur: in quæ suppellectilem sacram, bibliotecam, & alia preciosa à Catholicis relicta, conuersa esse respondent.

72. Crantzius lib. 1. cap. 38. habet, S. Ansgarium post vnionem Hamburgensis & Brementis Ecclesiarum superuixisse 7. annis: vid. Baron. ad ann. Chr. 858. num. 14. noster autem Codex ter habet (est n. eadem res tribus locis scripta) quòd 18. annis superuixerit. vid. post S. Ansgarij Vitam. Quod *ἀντιοφάνης*, sic concilio. Anni 18. nostri Codicis intelligendi sunt à tempore primæ Administrationis post factam vnionem; anni autem 7. Crantzij à tempore

pore

pore Confirmationis Papalis. Cùm enim fieret vnio, Ecclesia Coloniensis absque benedictione Episcopali degebat, & illud diuturnum exiit: postea Guntharius Coloniensis Præsul constitutus, cùm contradiceret huic vnioni, ab Imperatore Ludouico iuniore, alijsque Ecclesiasticis & Politicis, Wormatiæ rogatus, consensum suum hæcenus præbuit, Si Apostolicâ auctoritate firmaretur ea vnio; hæcenus ergo nondum confirmata fuit. Tum demum missus est Salomon Constantiensis ciuitatis Episcopus & Nordfridus Presbyter ad Papam Nicolaum, & Confirmationem obtinuerunt. Anni igitur 11. decurrerunt ab vnione facta ad hanc Confirmationem, quibus S. Ansgarius vnitos Episcopatus administrauit: his additi 7. anni post Confirmationem factam faciunt 18. Vid. cap. 20. Vit. S. Ansg. & Epist. Nicol. PP. in Append. Adamum item Bremensem, & Albertum Crahtzium, quorum ille *plenariam* appellat Copulationem lib. 1. cap. 31. hic *plenariam* Vnionem, Metropol. lib. 1. cap. 42. circa fin. ob Confirmationem scilicet.

Nota reales in Vitam S. Rimberti

73. Quis S. Rimberti Vitam scripserit, nondum satis compertum habeo: suspicor tamen fuisse ipsum successorem in Archi-Episcopatu Adalgarium, qui ei olim à germano suo fratre Adalgario Nouæ Corbeix Abbate;

bate, in directorem monasticæ Regulæ, quam etiam Archiepiscopus obseruandam susceperat, adiunctus erat. Vt quemadmodum S. VVillehadi Vita scripta est per Ansgarium, & S. Ansgarij Vita per Rimbertum, sic S. Rimberti Vita scripta sit per Adalgarium, qui ei egregium testimonium obseruatæ monasticæ vitæ & Regulæ perhibet, cap. Vitæ eius 12. Nec obstat, quòd ipse Adalgarius ibidem se laudare videretur, appellans se cùm Frater Monachus esset, *insignem conuersatione virum*, sicut & cap. 22. hoc etiam de se testimonium non inanis gloriæ causa ex suo iudicio profert, sed ex iudicio sic de se sentientium, qui idcirco etiam Archi-Episcopo socium & directorem elegerunt ac miserunt. Nec vana etiam laus est, quòd se ibidem *Virum Venerabilem* appellat, cùm iam successor & Archi-Episcopus esset: erat enim ille tunc temporis Archi-Episcopalis titulus, quò & vti potuit cùm se quasi occultare & nomen suum reticere voluit, imitando S. Rimbertum, qui etiam se sub nomine familiaris, fidelis, & perpetui comitis S. Ansgarij descripsit. Vid. Vitæ eius cap. 9. & Vitæ S. Ansg. cap. 20. & 33.

Nec obstat etiam, quòd se à scriptore illo sequestrare videtur, quando ait: *Hic vir Venerabilis* (ipse Adalgarius Archi-Episcopus) *adhuc hodie superest, cum multis alijs attestans, quia S. Pontifex, cuius Vitam scribimus, nihil ex*

hil ex occasione curæ Pastoralis de monachica perfectione perdiderit, &c. sic enim scribere debuit, qui de se rectè loqui intendit; sicut nouimus etiam S. Iohannem Apostolum de se loquutum esse. Nec denique obstat, quòd cap. 21. de S. Rimberto ait: *Fertur & dicitur miracula fecisse, quasi ex alijs habeat: aut enim ad publicæ famæ testimonium confugit, aut subindicat, se proficiscenti in Suediam non fuisse comitem, sed domi res officij eius administrasse. Et quis potuit maior aut magis idoneus eius monachicæ vitæ testis esse, quàm is, qui ad eam rem dirigendam ei adiunctus erat? Cumque ipse cum multis alijs hac de re attestetur, ut hic scriptum est, quis non videt, quòd se inter alios testes præcipuum faciat qui non tantum Archi-Episcopus & cæterorum Dominus sit, sed alteris etiam sopitis hoc suo scripto in perpetuum testetur.*

74. Cap. 6. §. *Ad omnia.* Rem hanc in Vita S. Ansgarij & prioribus capitibus Vitæ S. Rimberti passim inuenio; illa autem ipsa verba, quæ hic citantur, non inuenio: nisi me oculus & memoria fallit.

75. Cap. 14. §. *Erat enim.* Hospitale eius adhuc Bremæ extra portam orientalem in suburbio extat: quod quia & lapideum est, & verustate ruinosum perpetuâ refectione indigens putârim illud ipsum esse, quod S. Rimbertus olim construxerit: sed non videntur

denter tam copiosi iam illius Hospitalis reditus esse, atque hic describuntur. Templum autem eiusdem nominis quod proximè est, olim nescio quâ fortunâ combustum dicitur, & iam aliud, sed ligneum, pulcrum tamen, cum habitatione Ministri constructum est. Magnus ad illud populi concursus est, pertinentibus ad illud plerisque villicis qui ex ea parte circa urbem habitant, qui vel tres pagos æquare possint; & solent æstiuo tempore sudo cælo multi quoque ex vrbe ibi comparere.

76. Cap. 14. §. *Sedet.* Quod de S. Ansgario vitæ eius cap. 30. narratur; quòd in Zonâ propriâ semper saccellum cum nummis habuerit, vt absente dispensatore suo pauperibus sine morâ aliquid daret: hoc ab eo didicit perpetuus conuersationis eius comes & successor S. Rimbèrtus, qui idem fecit; & addit memorabile hoc dictum: *Non tardandum est, vt cunctis pauperibus succurramus, quia quis sit Christus, vel quando ad nos veniat ignoramus.* Significans, Christum non rarò sub pauperis figurâ suis fidelibus apparere.

77. Cap. 19. Hanc liberationem vnus Monialis captiuæ Iohannes Adolphus Cyprius Annal. Episcop. Slesuicenf. cap. 4. ad totam illam multitudinem captiuorum ampliat, & addit, à Slesuicensibus ductos fuisse, item propter fidem mergendos fuisse in Sliã, deinque quod hic in præcedente capite generaliter

Q

raliter

raliter de perpetuis actibus S. Rimberti dicitur, quomodo captiuos etiam thesauris templi & vasis altaris redemerit, ille ad hunc actum Slesuici singulariter exercitum refert. Et certè ego ipse considerans miratus sum, quæ hæc misericordia captiuos liberandi esset, ex multitudine quæ ducebatur vnam tantum Monialem redimere, reliquis vel seruituti vel supplicijs relictis? Sed vel ipsi non petiuerint liberationem, pro fide pari parati, vel ipse ad redimendos eos non habuerit satis quod daret: aut si omnes redempti sunt, noster tamen Autor hoc capite id quod singulare est Monialis exemplum recitat è quo & ad eum pertinentibus redemptæ; *μικρὰ* Ecclesiastica quæ secum habebat pro reliquis dederit, sicut capite præcedente tactum est.

78. Cap. 25. §. 1. Cum S. Willehadus ex suâ Basilicâ, vbi primum sepultus erat, in alteram translatus sit Basilicam temporibus Willerici Episcopi successoris sui, cap. 21. vitæ eius: quomodo potest hic dici, quod S. Rimbertum ad præceptum eius Fratres Ecclesiæ illius sepelierint foris Basilicam prope tumbam S. Willehadi extra murum Ecclesiæ orientalem. Nisi fortè dici possit, quo loco S. Willehadi corpus intra Ecclesiam iacet, eo loco S. Rimberti extra Ecclesiam, intercedente muro, positum esse.

79. Cap. 27. Subscriptiones Episcoporum,
non

non videntur ad solam Vitam S. Rimberti pertinere, sed ad Vitas omnium trium hoc Velumine descriptorum. Est enim per omnia vnum genus pergamenti, & vna manus; quod quorundam locorum diuersi Episcopi subscripti etiam significare videntur, quorum alij alio tempore fuerunt in eodem loco.

Notæ reales in Appendicem.

80. Appendix hæc est in alio magis nouo & meliore pergamento, aliâ etiam manuscripta, quàm priores Vitz: & apparet ad oculum ex primo & ultimo folio, & maculatione eorum, quòd alia fuerit compactura, quâ inueteratâ & lacerâ, hæc noua, quæ tamen iam satis antiqua est, sit cum hac Appendice confecta. Vt ita hæc Appendix sine dubio ex admonitione S. Ansgarij in sua Epistola fluxerit, quâ rogat vt literas, quas Ebo Rhemensis Archi-Episcopus cum consensu Ludonici Imp. à Papa Pascali obtinuit pro licentiâ ad partes Aquilonares euangelizandi causâ eundi. in multa exemplaria describant, in Bibliothecis ad perpetuam memoriam reponant, & successoribus istud notum faciant. Quod de alijs literis, quales in hac Appendice habemus, postmodum etiam factum est.

81. Ebo Rhemensis Archi-Episcopus Appendix hæc S. Ansgarius iam Archi-Episcopus in sua Epistola Catholica mentionem

Q 2

fecerit.

fecerat, quem Pascalis Papa, vt est in eius Decreto, cum Halitgario socio ad Aquilonares miserat, cui etiam Gregorius IV. vt in eius Decreto est, cum S. Ansgario Archi-Episcopo confirmato euangelizandi licentiam in toto Septentrione dederat; hic, inquam, Ebo non mansit constans sed sic se gessit, vt etiam depositus sit; teste Baronio, cuius hæc sunt verba: Quod ad Ebonem Rhemorum Archi-Episcopum pertinet, quoniam in eo quem susceperat Apostulatu ad Danos non perseuerauit; quodque molitionibus aduersus ipsum Ludouicum Imp. infamatus postea fuit, & priuatus est Episcopatu, penitus priorem gloriam obscurauit, adeo, vt nequaquam ipse Danorum Apostolus sit appellatus, sed S. Ansgarius, qui non Danorum tantum, sed & Aquilonarium Apostolus nominatus inuenitur. Hæc ad ann. Chr. 826. num. 37.

82. In Decreto Nicolai Papæ, §. *Igi. ur dum.* Omissa est vox, Ecclesiæ, quod inde videas, quia sequitur, quæ huic contigua esse dicitur, nempe Hamburgensi. Omissum etiam est nomen demortui Episcopi Bremensis, dum vacaret locus, & Ecclesia cum Hamburgensi vniretur. Non hunc Willericum fuisse, qui post S. Rimberrum Ecclesiam istam vel 50. annis rexit, hinc constat, quia post eum, de quo hic sermo est, Episcopatus Bremensis vacauit, & S. Ansgario simul atque

que Vnioni locum dedit. Fuit ergo Ludericus seu Leudericus qui inter VVillericum & S. Ansgarium intercessit.

83. De duabus postremis in Appendice Epistolis, Sergij & Formosi, sic iudico. Sergius ille non fuit Sergius II. qui Gregorium IV. sequutus est, & S. Ansgario adhuc viuente sedit; sed alius, qui cum Formoso vixit. Formosus enim fuit legitimus Papa, cui Sergius ille per Schisma Antipapa oppositus fuit, homo nefarius & scelestus, qui in bonum Formosum multa mala congescit, adeo vt etiã in demortui corpus indignis modis sæuerit. Videtur Sergius ille, quemadmodum in Pontificatus Schisma fecerat, sic in Archi-Episcopatu etiam Hamburgo-Bremensi facere voluisse; & sic Adalgario, qui S. Rimbertum proximè sequitur, & ipso adhuc viuente designatus, ac postea confirmatus fuerat, Ante Episcopum Hoyerum, vel Hoyerum, opponere voluisse. Quæ res cum ei ex voto non procederet, Coadiutorem eius eum fecit, cui & defuncto in Archi-Episcopatu successit. Cur autem, cum diu ante illa Vnio Hamburgensis & Bremensis Ecclesiarum ab Imp. Ludouico Iuniore in perpetuum instiruta, à Papa Nicolao eius nominis I. sub Anathematis fulmine confirmata, & sic quoque à Gunthario Archi-Episcopo Coloniensi approbata esset, cur, inquam, postea aut Hermannus Archi-Episcopus Coloniensis no-

Q3

uam

uam litem mouere, aut Formosus Papa Adalgarium Archi-Episcopum Hamburgo Bremensem increpare, & nouam Dispensationem super hac re, contrariam prioribus decretis, quod in Epistola sua fecit, statuere voluit? Præ tenditur æquitas & litis finitio: sed isto modo priores iniquitatis insimulantur, & iam conditionatè accipitur, quod illi simpliciter statuerant. Nec sortita est Formosi Dispensatio opratum finem: utpote Bremense Ecclesiã Archi-Episcopatum Hamburgensem adhuc obtinente. Et quod Hamburgensis Ecclesiã per Bremensem Coloniensi fecerat, idem postea Lundinensis per tria integra Regna Hamburgensi factitauit, adeo ut nisi Hamburgensis in Bremensem transisset, penitus intercidisse potuisset.

Nota reales in Appendicis Appendicem.

84. Ista quatuor Epistolæ Innocentij, de obedientiã præstandã Hamburgensi Sedi ab omnibus Daniæ Episcopatibus, erant in principio huius Libri Ecclesiæ Hamburgensis, ex quo hæc recensemus, in singulari aliqua chartã pergamentã duabus manibus scriptæ, priores duæ tenuiori, posteriores duæ grossiori; cumque videatur Liber diu laceram aut nullam etiam habuisse compacturam, ita imprimis extrema maculata & detrita erant, ut planè à nemine legi possent. Ne tamen quicquam de meo adderem, ea quæ distinctè legi

legi potuerunt fideliter exscripti: ex quibus
de reliquis iam coniectura facienda est.

Innocentius autem ille fuit Innocentius II.
qui coronauit Imperatorem Lotharium II.
quod intelligas, primo ex Calixto II. & Ho-
norio II. Pontificibus eius proximis anteces-
soribus, quos in his Epistolis saepius nomi-
nat, & in hac ipsa causa querelas audiuisse
ait: deinde ex tempore Pontificatus ipsius,
& scriptarum harum Epistolarum; est enim
anno Christi 1130. die 10. Martij creatus
Pontifex, & anno Christi 1133. 6. Calendas
Iunij, 2. Pontificatus sui anno, has Epistolas
scripsit, vt in calce primæ expressum est: de-
nique ex coronatione Lotharij II. in Impera-
torem, quæ eodem anno 1133. 6. Iulij
facta est, teste Baronio

Antè illud tempus, cum Ericus Eigothe
Rex Daniæ pro expiatione summorum pec-
catorum religiosam amplexus esset peregrina-
tionem Iudæam versus, Romam veniens,
Ecclesiæ Lundinensis Archi-Episcopatum &
Primum super tria Regna obtinuit, sed per-
gens in Cypro Insula cum vxore sua Bothil-
de mortuus est; post quem Nicolaus frater
eius Rex Daniæ factus est: sub quo anno
Christi 1103. Ascerus, qui hic in Epistola
Acerus appellatur, Cypræ Ascherus dicitur
c. 18. factus est primus Archi-Episcopus Lun-
dinensis in Daniæ; prius enim parebant o-
mnes Danici Regni Episcopatus Archi-E-
piscopo

piscopo Bremensi & Hamburgensi. Facta est hæc separatio Episcopatum Danicorum, Suedicorum, & Noruuegicorum, à Sede Hamburgensi & Bremensi ab Urbano Papa II. à Gregorio VII. prius deliberata. Vid. Saxon. Gramm. histor. libr. 12. & ex eo Baronium ad ann. Christi 1092. num. 13. 14.

Super hacigitur defectione cum apud Calixtum & Honorium, & iam Innocentium conquererentur Adalbero Hamburgensis Archi-Episcopus & prædecessores eius; Has Epistolas scribit Innocentius pro restitutione antiqui & liquidò constantis iuris; primam ad Adalberonem Archi-Episcopum, alteram ad Nicolaum Regem, tertiam ad Ascerum Lundinensem, quartam, ut videtur, ad Magnum Regem. De prioribus duabus res patet: tertiam autem ad Ascerum directam esse, ex illis quæ adhuc legi possunt satis liquet; præcipitur enim ibi obedientia ad Sedem Hamburgensem, tanquam Metropolitanam, alicui cuius Papa Fraternitatem appellat. Quartam autem sub eodem Dato ad eundem Regem Nicolaum, ad quem secunda est, directam fuisse non est probabile: quia verò ille filium suum, Magnum, coadiutorem & coregem habuit, facilius est existimare, ad eum esse transmissam, ne in tantâ causâ neglectus indignaretur & patri contraria consilia supeditaret. Hæc ferè ex histor. Gentis Danor. & Regum Daniæ num. 79. & 80. ut in mi-

nori

noris forma ex typographæo Elzeuiriano
prodiere. Sed nihil hac restitutione affe-
ctum esse, res loquitur & ex illo tempore
Hamburgensis Ecclesia Archi-Episcopalis
Sedis nomine perdidit, quod cum S. Ansga-
rio eiusque successoribus ad Bremensem Ec-
clesiam migravit. vide supr. Not. 68.

85. Tertia Epistola, ut videtur, ad Asce-
rum nuper contra antiqua instituta erectum
Archi-Episcopum Lundinensem scripta, sic-
pote integrati, ex reliquarum tenore, ex i-
pſius causæ conditione, & relictæ spacij an-
gustia vel amplitudine, possit: quod in gra-
tiam Lectoris conabor assequi, nullius me-
liori iudicio præscribens. Quæ in scriptione
hac inducta sunt lineæ, & impressione alijs
typis excudenda, ea à me sunt lacunis im-
plendis bono animo addita: sicubi quod vo-
lui non sum assecutus, veniam peto. Epi-
stola hæc esset: Innocentius Episcopus, Ser-
uus Seruorum Dei, *Ascero Episcopo Lundinensi,*
Salutem & Apostolicam benedictionem.
Quemadmodum *iuris naturalis est*, alterum
non lædere: ita nimirum *nostri officij, læsum ad-*
iuuare. Cæterum Venerab. Frater noster A.
Hamburgensis Archi-Episcopus, *conquestus*
est coram beatæ memoriæ Calix. & Honor.
& iam etiam nobis, quod ei debitam obedientiam
& reuerentiam, tanquam Metropolitano tuo
negligas exhibere. Quâ de re cum & ab ipsis &
à nobis sæpè per literas & nuncios euocatus

Q5

sis, nec

sis nec per te nec per tuos tamen Sedem Apostolicam visitasti. Quia igitur nostri officij est, singularis sua conservare, Fraternalitati tuae per presentia scripta sermo mandamus, ut ad eius subiectionem & reuerentiam redeas, & citanquam Metropolitano tuo in omnibus pareas. Data apud montem Auentinum, 6. Calend. Iunij.

86. Quarta etiam Epistola ex mea coniectura sic queat integrari: Innocentius Episcopus, Seruus Seruorum Dei, dilectorum Christo Filio, Magni Danorum Regi salutem & Apostolicam benedictionem, &c. Atque pro hoc tempore & pro occasione sufficiant.

FINIS

Sequitur Index Nominum Propriorum, Numerus est Pagina.

Acerus Episcopus Lundensis. pag. 198.
 200.
 Adalbero Archi-Episcopus Hamburg. 197.
 Adal-

Index

- Adalgarius Abbas Corbeiensis 146.
Adalgarius Diaconus Corbeiensis 149.
Adalgarius Episcopus Hamburgensis 194.
Adalhardus Abbas Propheta 100. 217.
Adrianus PP. 198. 199. 200.
Alachrat Rex Anglorum 4. 208.
Albia fluuius 63. 69. 175.
Aldo minister S. willehadi 12.
S. Alexander 221.
S. Allouinus, Bauo. 230.
Almericus Diaconus 199.
Amalaris Episcopus. 175.
Amalhartius transalbinus Prædicator. 70.
B. Amandus 231.
Anoundus Rex Suedia exul apud Danos 82.
Ansfridus Presbyter 113.
Apostolorum Natales 192.
Apulia Vrbs 109
Ardgarius Anachoreta 79. 86. 87. 89.
Arnulfus Presbyter 139.
Asterga 14.
Asterbacha Locus 12.
Atrebanus Clericus 11.
Aubertus Monachus Corbeiensis 59.
63. 214.
Auentinus Mons 199. 200. 201. 202.
Benedictus PP. 198. 200.
S. Benedicti Regula 148.
Beniamin Discipulus S. V. Villehadi 17.
Bernharius Comes 75.

Bernol-

Nominum Propriorum.

- Bernoldus Episcopus 72. 179.
Bern Rex Sueonum 67. 74. aliàs. Bior-
nius 215.
Birca Portus Regni Sueonum 67. 82. 101
S. Bonifacius 5. 208.
Brema II 16. 117. 164. 189.
Bremensis Episcopatus 90. 94. 95. 185. 186.
164. 195. 196. 209. 235.
Calixtus PP. 198. 200. 201.
Cathla religiosa familia Freteburgis 88.
Colonia 62. 91. 186. 195.
Constantinus Imperator 9.
Corbeia Noua 56. 183.
Corbeia Cœnobium 43.
S. Cyprianus 229.
Docyncyrca Locus Frisiae aliàs Doefinge/Do-
cfum 5. 208.
Dorstadum 98.
Dorstratum. 62. 88.
Drogo Metensis Præsul 71. 176. 179.
Drugo Episcopus Mimidonensis.
Ebo Archi-Episcopus Rhemensis 71. 169.
176. 180.
Ecbertus Comes 175.
Egilmarus Episcopus Osnabrugensis 165.
Egifrik discipulus S. VVillehadi 17.
Emmingus Comes 10.
Eresbur Castellum Saxonie 13.
Ericus Rex 102.
Erimbertus Presbyter 160. 111. 113.
Feefac 240.

Index

- Floribertus Abbas 231.
Folcardus Presbyter casus 10.
Formosus PP. 194.
Francho Episcopus Gressis 195.
Francia 11.
Frankenfort 195.
Fresij conuersi 7.
Fretoburgis religiosa Matrona apud Suedos 86.
Fulbertus discipulus S. Ansgarij 55. 224.
Ganda, Gandauum 230.
Gauthbertus adiutor S. Ansgarij in Suedia 73. 214.
Geroldus Comes 77. 179.
Gerwalus casus 11.
P. Gislemarus 66.
Gregorius IV. PP. 72. 198. 199. 200. 201. 232.
Gregorius II. PP. 93. hoc videtur vitiose relictum esse.
Guntharius Præsul Colonienfis 91. 95.
Hadeboldus Antistes Coloniae 62.
Haligarius religiosus 171.
Hammaburg Sedes Archi-Episcopalis 70.
94. 94. 98. 130. 132. 176. 180. 183. 184.
185. 186. 195. 236. à piratis expugnatur 75.
Hela wich fœmina 140.
Helingaudus Episcopus. 71. 177.
Heresi Monasterium Virginum 132.
Hericus Rex Danorum, Pater 97. 99. 101.
189. mortuus 111. Filius 111.
Heridag transalbinus Presbyter 70. 175.
Herigarius, Hirtgerius præfectus Regius Boi-
cæ 63. 68. 79. 80. 234.
Herioldus Rex Danorum 57. 61. 62. 63. 64. 214.
Her-

Nominum Propriorum.

Hermannus Archi-Episcopus Colonien. 194.
Hetti Archi-Episcopus Treuitensis 71. 176.
Hirimannus Comes 36.
Hogerus Archi Episcopus Hamburg. 191. 219.
Honorius PP. 198. 200. 201.
Houi Comes schlesvicensis 111.
Hoftracha pagus Frisia 5.
Hrodnace Cella 176.
Humarcha, Huchmarcha locus Frisia 6. 208.
Imperium Constantinopolitanum ad Fran-
cos translaum 9.
Inda Monasterium 176.
Innocentius H. PP. 197.
Ioannes Adolphus Cypraus. 214.
S. Ioannes Baptista. 49.
Ioannes Scrinarius. 194.
Karolus Augustus 69. 174. 179. Franco-
rum Rex 8.
Karolus Rex. 184.
Klagus Rex Danie. 214.
Langobardi. 209.
Laras 14. 27.
Legati Sueonum pro Prædicatoribus 64.
Leo PP. 198. 200. 201.
Leri pagus 11.
Lotharius Rex 92. 198.
Loue. e. Louinka fluius Frisia 6. 208.
Lucius PP. 229.
Ludouicus Imperator, Pater 57. 64. 68.
69. 70. 123. 69. 173. 179. 189. Filius. 76.
90. 92. 93. 129. 131. 146. 162. 182. 186. 238.
Luit-

Index


- Luitbertus Mogotiensis Archiepiscopus 147.
Luidbertus alias Lintbertus 218.
Luidhardus Paderbornensis Episcopus 147. 152.
Lundenfis Ecclesia 198. 199.
Magnus Rex Daniæ 201.
Maguntiensis Archi-Episcopus 195.
Maestas Domini nostri Iesu Christi 50. Vide
etiam 53. 65. 192. 199.
B. V. Maria, Mater Domini
S. Michaëlis, SSque Stephani & Viti Orato-
riolum 166.
Miracula S. VVillehadi 201. 8cc.
Nicolaus PP. 93. 182. 189. 198.
Nicolaus Rex Daniæ 199.
Nithardus Martyr 77.
Nordalbingi 119. 130. 175. 179. 183.
Nordendi 14.
Nordfridus presbyter 93. 236. 238.
Oleph Rex Suediæ 111. 108.
Ostergao pagus Frisiæ 119.
Otgarius Archi-Episcopus Moguntinus 71. 176.
B. Pauli Epistola à S. VVillehadodescripta 13.
S. Petrus Apostolus 49. 72.
Pippinus Longobardorum Rex 11.
Pleccateshem, Plexem 16. 210.
Ramsola 225.
Ratoldus Episcopus 72.
Ratolfus Episcopus 179.
Regimbertus Presbyter 113.
Rimbertus 113. 122.
Ripa Vrbs 512.


Sabe-

Nominum Propriorum.

- Sabeni Populi Septentrionales 233.
Salomo Episcopus Constantiensis 92. 95.
182. 185. 189. 238.
Schleswig 98. 111. 113. 158.
Seburg Vrbs 108.
Sergius PP. 191. 198. 200. 201. 219.
Symon, qui & Gautbertus 74. 106. 76. 87.
Theodoricus Abbas 231.
Theophylactus Sacellarius 194.
Thiadmarelgaho 11.
Thiadricus Episcopus Mindensis 146. Suf-
fraganeus Colonienfis 147.
Thurholt Cella in Gallia 71. 74. 132. 177.
184. 215. 216. 230.
Tiberius Primicerius 188.
Triantha, Drentia locus Frisiae 7. 208.
Verda 183. 186. 209.
Verdenfis Ecclesia 235.
Visurgis 209.
Vodelbaldus Episcopus Traiectensis 195.
Vtriuistri 10. Ruistri 14.
Vvalo Abbas Corbeienfis 58. 64.
VVanga 14.
VVelanao locus transalbinus 72. 233.
VVidindus 10. 14.
VVigmodia 3. pagus Saxoniae 8. 17. 14. 208.
S. VVillehadus Romam peruenit 11.
VVillericus Episcopus Bremensis 71. 113. 18.
P. VVitmarus Collega Scholae S. Ansgarij 55.
VVofelmus Mimiger Episcopus Malfarden-
Zacharias Notarius 188. (fis 195.


FINIS.






R


F







R
F










R
12












Th
2484



R III

27.